



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Lateranense IV. Generale, Svb Innocentio III. Svmmo Pontifice.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**



CONCILIUM  
LATERANENSE IV.  
GENERALE,  
SVB INNOCENTIO III.  
SUMMO PONTIFICE.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.

Vviliel-  
mus Tyren-  
sis de bello  
sacro libro  
1. cap. 14. &  
sequētibus.  
Vvilielmus  
Malme-  
sburius de  
rebus An-  
glicis libro  
4. cap. 1. &  
alii.



VRBANVS secundus pontifex in Claramontano satis frequenti Concilio graui oratione valde conquestus est Hierosolymitanam regionem, in qua Christus Dominus sanguinem vitamque nostra causa profudit, ceteraque sancta illa loca eiusdem Redemptoris nostri consecrata memoria, magno cum Christiani nominis dedecore in Saracenorum manus peruenisse. Quare Christianae reipublicae reges, principes, ceterosque Christianos adhortatus est, ut coniunctis viribus sanctam illam prouinciam ex hostium manibus eriperent, & quamprimum ad sacrum bellum se accingerent. Ita haec pontificis oratio illorum animos incendit, ut pene dicto citius militum undique ad trecenta millia sub diuersorum principum ductu coacta sint: ac militari amictu Cruce insignito, ut sese ostenderent pro Christo Domino bellum gerere, Antiochiam primum, mox finitimas regiones, postremo Hierosolymam ipsam, ut permagno labore, ita ingenti gloria sint adepti: creato itidem in Hierosolymitana vrbe & ditone rege Gottifredo strenuissimo du-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

ce omnium qui aderant principum consensu. Regnatum est Hierosolymis nonaginta circiter annos: ac per id tempus summi Romani pontifices officio suo ac muneri in eo regno tuendo, ac Saracenis procul arcendis, non defuere. Verumtamen effici non potuit quo minus, Guidone rege capto, Urbano tertio pontifice Hierosolyma a Saracenis occuparetur. Cui pontifici cum Gregorius octauus successisset, is impiger reges, principes, populosque Christianos omnes excitat cum literis, tum legatis, atque ad Hierosolymam recuperandam Urget. Idem praestiterunt qui post eum pontifices fuerunt: sed per multa acciderunt quae sacro huic bello impedimentum attulere. Innocentius tertius, vir doctrina & moribus insignis, ubi pontificatum inuit, Hierosolymae recuperationi animum adiecit. Et vero in magnam spem venit, fore ut voti compos fieret, cum suo tempore Latini aliqui principes, expugnata Constantinopoli, Graeciam ipsam suo imperio subiecissent, & Balduinus Flandriae comes Constantinopolitanus imperator esset electus: idemque curam adhibuit, ut Graeci diuturno schismate ab ecclesia catholica seiuncti, ad Romanae ecclesiae obedientiam reuerterentur. Quamobrem pontifex, & literis & legatis missis, omnes ad sacrum hoc bellum cohortatus est. Cumque magnopere optaret Innocentius tum Hierosolymitanae urbis recuperationem, tum uniuersae ecclesiae reformationem, sanctorum patrum vestigia secutus, generale indixit Concilium: in quo & deprauati mores corrigerentur, & haeretici damnarentur, & principes ac populi ad sacram hanc expeditionem adducerentur. Scripsit igitur omnibus patriarchis & episcopis biennio ante Concilii celebrationem, ut ad illud accederent. Scripsit quoque imperatori & regibus, ut ipsi quoque oratores ad Synodum destinarent. Cogitur itaque Romae in Lateranensi ecclesia satis magnum Concilium: de quo abbas Vrspergensis, qui eo tempore floruit, haec habet: Anno ab incarnatione Verbi 1215. celebrata est sancta uniuersalis Synodus Romae in ecclesia Saluatoris, quae Constantiniana vocatur, mense Nouembri, praesidente domino Innocentio papa tertio: pontificatus eius anno 18. In qua fuerunt episcopi 412. Inter quos extiterunt de praecipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; Antiochenus autem graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium Antheradensem episcopum. Alexandrinus vero, sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se diaconum suum Germanum. Primates autem & metropolitani 71. Ceterum abbates & priores ultra octingentos, archiepiscopo-

Rogerus  
annaliu Ang-  
glicaru par-  
te postero-  
ri, & Vvilliel-  
mus Neu-  
brigetis lib.  
3. cap. 20.

Abbas Vr-  
spergens in  
chronico.

Vincentius  
Beloluacé-  
sis, l. 29. hi-  
storiae cap.  
61. & 91. &  
alii.

Innocentius  
in epistola  
indictionis  
Concilii.

rum vero, & episcoporum, abbatum, & priorum, & capitulorum absentium procuratorum non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum vero regis Siciliae in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Francia, regis Anglia, regis Hungaria, regis Hierosolymitani, regis Cypri, regis Aragonia, nec non & aliorum principum, & magnatum, ciuitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo. Haec Vrspergensis. In quo Concilio primum explicata est catholica fides contra varios haereticorum errores. Damnatus liber Ioachim abbatis in Petrum Lombardum de unitate sanctissimae Trinitatis. Damnatum quoque dogma peruersum impii Almarici, de quo susius Vincentius Bellouacensis. Multa de haereticis coercendis, ac puniendis, ac de Graecis, qui ad catholicam fidem reuerterant, statuuntur. Item pleraque alia catholicae ecclesiae valde utilia, quae omnia capitibus septuaginta distincta sunt, ac in Gregorii noni decretalium collectione continentur. Postremo, pro recuperatione terrae sanctae multae indulgentiae & priuilegia concessa sunt ad sacrum illud bellum euntibus. Ad subsidium bello conferendum omnes est cohortatus. Atque ipse una cum cardinalibus, ceterisque praelatis, non exiguam vim pecuniae collaturum se esse promisit. Tum excommunicat quoscumque qui arma, naues, aut auxilia quaeuis Saracenis suppeditant. Praecipit demum ut pax in Christiano orbe toto, saltem per quadriennium, conseruetur.

Vincentius lib. 30. cap. 64.

Lib. 29. cap. 107.

EPISTOLAE  
INNOCENTII PAPAE III.

Vniuersis Christi fidelibus per Moguntinam prouinciam constitutis.

QVIA maior nunc instat necessitas, quam vnquam institerit, ut terrae sanctae necessitatibus succurratur, & de succursu speratur maior quam vnquam prouenerit utilitas prouentura, ecce, resumpto clamore, clamamus ad vos, & pro illo clamamus, qui moriendo voce magna clamauit in cruce, factus obediens Deo Patri usque ad mortem crucis, clamans, ut nos ab aeternae mortis eriperet cruciati. Qui clamat etiam per se ipsum, & dicit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: ac si diceret manifestius: Qui vult

Matth. 27.  
Marc. 15.

Matth. 16.  
Luc. 9.

ANNO  
CHRISTI  
1139.

me subsequi ad coronam, me quoque subsequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur vniuersis. Poterat enim omnipotens Deus terram illam, si vellet, omnino defendere ne in manus traderetur hostiles. Possit & illam, si vellet, de manibus hostium facile liberare, cum nihil possit eius resistere voluntati; sed cum iam superabundasset iniquitas, refrigescente caritate multorum, vt fideles suos a somno mortis ad vitæ studium excitaret, agonem illis proposuit, in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis, imo saluationis causam præstando, vt, qui fideliter pro ipso certauerint, ab ipso feliciter coronentur; & qui ei noluerint in tantæ necessitatis articulo debitæ seruitutis impendere famulatum; in nouissimo districti examinis die iustam mereantur damnationis sententiam sustinere. O quanta iam prouenit utilitas ex hac causa: quam multi conuersi ad pœnitentiam pro liberatione terræ sanctæ mancipauerunt se obsequio Crucifixi, & quasi per agonem coronam gloriæ sunt adepti, qui forte in suis iniquitatibus periissent, carnalibus voluptatibus & mundanis illecebris irretiti. Vetus est hoc artificium Iesu Christi, quod ad suorum salutem fidelium diebus istis dignatus est innouare. Si enim aliquis rex temporalis a suis hostibus eiiceretur de regno, nisi vassalli eius pro eo non solum res exponerent, sed personas, nonne, cum regnum recuperasset amissum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos; sic & Rex regum Dominus Iesus Christus, qui corpus & animam, & cetera vobis contulit bona, de ingratitude vitio, & infidelitatis crimine vos damnabit; si ei quasi eiecto de regno, quod precio sui sanguinis comparauit, neglexeritis subuenire. Sciat ergo se culpabiliter durum & dure culpabilem quicumque in hoc necessitatis articulo suum negauerit obsequium Redemptori. Nam si quis sibi vel modicum quid hereditatis paternæ sentiret dure ablatum, mox secundum morem mundanum totis viribus laboraret, vt suam vindicaret iniuriam, & violentiam propulsaret; nec rebus parceret nec personis, donec ex toto recuperaret amissum: quomodo ergo poterit excusari qui nec mediocriter laborare studuerit pro punienda sui

Redemptoris offensâ & eius iniuria vlciscenda, dum par-  
cendo rebus & personis impedit ne locus recuperetur  
passionis & resurrectionis dominicæ, in quo Deus rex no-  
ster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est ope-  
rari. Quomodo etiam secundum præceptum diuinum di-  
ligit proximum suum sicut seipsum, sicut scriptum est,  
qui scit fratres suos fide ac nomine Christianos apud per-  
fidios Saracenos ergastulo diri carceris detineri, ac iugo  
deprimi grauissimæ seruitutis, & ad liberationem eorum  
efficacem operam non impendit, transgrediendo illius  
naturalis legis mandatum, quod Dominus in euangelio  
declarauit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, &  
vos facite illis.* An forte nescitis quod apud illos multa  
millia Christianorum in seruitute ac carcere detinen-  
tur, qui tormentis innumeris cruciantur? Et quidem om-  
nes pene Saracenorum prouincias vsque post tempora  
sancti Gregorii Christiani populi possederunt: sed extunc  
quidam perditionis filius Machomettus pseudoprophe-  
ta surrexit, qui per sæculares illecebras & voluptates  
carnales multos a veritate seduxit. Cuius perfidia, et si  
vsque ad hæc tempora inualuerit, confidimus tamen in  
Domino, qui iam fecit nobiscum signum in bonum, quod  
finis huius bestię appropinquat, cuius numerus, secundum  
Apocalypsim Ioannis, *intra sexcenta sexaginta sex clauditur:*  
in proximo finietur per operationem Spiritus septiformis,  
qui caritatis igne corda fidelium hætenus frigescentia  
reaccendet, ex quibus iam pene sexcenti sunt anni com-  
pleti. Certe propter priores iniurias grandes & graues  
Redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Sarace-  
nis illatas nuper in monte Thabor, vbi discipulis suis futu-  
ræ glorificationis speciem demonstrauit, iidem perfidi Sa-  
raceni quamdam munitionis arcem in confusionem Chri-  
stiani nominis erexerunt: per quam ciuitatem Acon sibi  
valde vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde sine  
omni contradictionis obstaculo residuum terræ huius in-  
uadere, cum sit viribus & opibus pene penitus destitu-  
ta. Eapropter igitur, dilectissimi filii, dissensiones & a-  
mulationes fraternas in pacis & dilectionis fœdera com-  
mutantes accingimini ad obsequium Crucifixi; non du-  
bitantes pro illo res exponere ac personas, qui pro vo-  
bis

Luc. 10.

Math. 7.  
Luc. 6.

Apo. 13.

ANNO  
 CHRISTI  
 1215.

bis animam suam posuit, & sanguinem suum fudit; certi pariter & securi, quod si vere poenitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quasi quodam compendio, ad requiem peruenietis aeternam. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam, viros idoneos destinauerint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptae peregrinationis laborem impenderint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt, personas quoque ipsorum, & bona, ex quo Crucem assumpserint, sub sancti Petri & nostra protectione suscipimus, nec non & sub archiepiscoporum, & episcoporum, & omnium praelatorum ecclesiae Dei defensione consistant; statuentes ut, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & quiescant. Quod si quisquam contra praesumpserit, per ecclesiarum praelatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compefcatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad praestandas vsuras iuramento tenentur adstricti, creditores eorum per ecclesiarum praelatos, ut remittant eis praefatum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem praecipimus distictione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus. Iudaeos vero ad remittendas ipsis vsuras per saecularem compelli praecipimus potestatem, & donec illas remiserint ab vniuersis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis sententiam

*Conc. Tom. 28.*

Q

eis omnino communio denegetur: vt autem terræ sanctæ subsidium diuisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes & singulos per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum solum verum, vnum æternum Deum postulantes vice Christi pro Christo, ab archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, & prioribus, & tam cathedralium quam conuentualium ecclesiarum capitulis, & clericis vniuersis, nec non ciuitatibus, villis, & opidis, competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates; & si ad hoc vnum quodlibet non suffecerit, plura coniungantur in vnum, quia pro certo speramus, quod personæ non deerunt, si expensæ non desint, postulantes hoc ipsum a regibus, & principibus, comitibus, & baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A ciuitatibus vero maritimis nauale subsidium postulamus, & ne aliis onera grauiā & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus, protestamur veraciter coram Deo, quia quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium necessariis prouidimus indulgendum, vt, omni contradictione cessante, beneficiorum suorum prouentus propter hoc valeant vsque ad triennium pignori obligare. Quia vero subsidium terræ sanctæ multum impediri vel retardari contingeret, si ante susceptionem Crucis examinari quemlibet oporteret, an esset idoneus & sufficiens ad huiusmodi votum personaliter prosequendum, concedimus, vt, regularibus personis exceptis, suscipiant quicūque voluerint signum Crucis, ita quod, cum vrgens necessitas aut euidentis vtilitas postulauerit, votum ipsum de mandato apostolico possit commutari, aut redimi, vel differri, & propter eandem causam remissiones & indulgentias hactenus a nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Prouinciam, reuocamus; maxime cum illis concessæ fuerint ad tempus, quod iam ex toto præteriiit, & istis, ob causam quæ iam ex maiori parte cessauit, vtroque negotio per Dei gratiam adeo prouecto, vt vehementem instantiam non requirat; & si forte requireret, nos ingruenti necessitati respicere cura-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

remus, concedimus tamen, vt huiusmodi remissiones & indulgentiæ apud prouinciales remaneant & Hispanos. Ceterum quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo, spoliando transeuntes ad illam, & reuertentes ab illa, nos eos, & principales adiutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus, sub intimatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis tractatu; & iniungentes rectoribus ciuitatum, & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos nihil est aliud quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, nec in personas & terras eorum seueritatem ecclesiasticam curabimus exercere, cum tales non minus quam Saraceni aduersentur nomini Christiano. Innouamus præterea excommunicationis sententiam in Lateranensi Concilio promulgatam aduersus eos qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, eosque rerum suarum priuatione multari, & capiendum seruos, si capti fuerint, fore censemus, præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus dominicis & festiuis huiusmodi sententia publice innouetur. Verum cum longe plus de diuina clementia, quam de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, & mandamus, vt singulis mensibus semel fiat generalis processio seorsum virorum, ac seorsum, vbi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis cum deuota orationum instantia postulantium, vt misericors Deus auferat hoc a nobis confusionis opprobrium, liberando terram illam, in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit, de manibus Paganorum restituendo eam ad laudem & gloriam nominis sui sancti populo Christiano, prouiso prudenter vbi semper in ipsa processione verbum salutiferæ Crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi vero ieiunium & elemosyna coniungantur, vt his quasi alis facilius & celerius ipsa volet oratio ad piis-

Concilium  
Lateranense  
sub Alexandro III.  
Can. 4.

Concil. Tom. 28.

Qij

simas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra Missarum solennia, post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur ad terram, & a clericis psalmus iste, Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, alta voce cantetur: quo cum hoc versu deuote finito, Exurgat Deus & dissipentur inimici eius; & fugiant a facie eius qui oderunt eum, sacerdos qui celebrat orationem istam super altare decantet alta voce:

*Psalm. 73.*

*Psalm. 67.*

Deus qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, vt terram, quam vnigenitus Filius tuus proprio sanguine consecrauit, de manibus inimicorum Crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad eius liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis aeternae. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui, &c.

In illis autem ecclesiis, in quibus conueniet processio generalis, truncus concauus statuatur tribus clauibus consignatus, vna penes honestum presbyterum, alia penes deuorum laicum, & tertia penes aliquem regularem fideliter conferuandis, in quo clerici, & laici, viri, & mulieres eleemosynas suas ponant in terrae sanctae subsidium conuertendas secundum dispositionem eorum, quibus haec fuerit sollicitudo commissa. Porro super processu & transitu modesto & ordinato congruo loco & tempore faciendum nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini Cruce signetur, sed tunc pensatis vndique circumstantiis, quaecumque viderimus opportuna de prudentum virorum consilio statuemus. Ad haec igitur exequenda dilectos filios de Salem, & quondam de Nouo castro abbates & C. decanum Spirensis & praepositum Augustensium, viros vtique probatae honestatis & fidei, deputamus, qui adscitis secum viris prouidis & honestis auctoritate nostra statuant & disponant quaecumque ad hoc negotium promouendum viderint expedire, facientes quae statuerint in singulis diocesis per viros idoneos ad hoc specialiter deputatos fideliter & solcite procurari. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus,

ANNO  
CHRISTO  
1145.

ANNO  
CHRISTI  
1235.

monemus, & obsecramus in Domino; per apostolica vobis scripta mandantes, & in virtute Spiritus sancti iniungentes, quatenus eis pro Christo legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quod per vos & in vobis fructum faciant exoptatum.

In eodem modo per Magdeburgensem & Bremensem prouincias.

In eodem modo per Coloniensem prouinciam.

In eodem modo per Saltzburgensem prouinciam.

In eodem modo per Treuerensem prouinciam.

In eodem modo per Poloniam.

In eodem modo per Sueuiam.

In eodem modo per Lundensem prouinciam.

In eodem modo per Angliam.

In eodem modo per Tusciam.

In eodem modo per Hiberniam.

In eodem modo per Noruegiam.

In eodem modo vniuersis per regnum Franciæ constitutis.

In eodem modo per Scotiam.

In eodem modo per Sardiniam.

In eodem modo per Dalmatiam.

In eodem modo per Rauennatem, Mediolanensem, Ianuensem, prouincias constitutis.

In eodem modo per marchiam Anconitanam.

In eodem modo per Hungariam.

In eodem modo Pragensi archiepiscopo, & abbatibus, prioribus & vniuersis Christi fidelibus per Bohemiam constitutis.

In eodem modo per Calabriam.

*ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPIS,  
abbatibus & prioribus per Viennensem prouinciam constitutis.*

**V**INEAM Domini sabaoth multiformes moliuntur bestia demoliri, quarum incurfus adeo inualuit contra ipsam, vt ex parte non modica pro vitibus spinæ succreuerint, &, quod gementes referimus, ipsæ iam vites proferant pro vua labruscam, infectæ multipliciter &

corrupta. Illius ergo testimonium inuocamus qui testis est in caelo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc saeculo principaliter affectamus, vt ad recuperationem videlicet terrae sanctae, ac reformationem vniuersalis ecclesiae valeamus intendere cum effectu: quorum vtrumque tantam requirit prouisionis instantiam, vt absque graui & grandi periculo vltra dissimulari nequeat vel differri. Vnde supplicationes & lacrymas frequenter effudimus coram Deo, humiliter obsecrantes, quatenus super his suum beneplacitum reuelaret, spiraret affectum, accenderet desiderium, & propositum confirmaret, facultatem & opportunitatem praestando ad ea salubriter exequenda. Quapropter habito super his cum fratribus nostris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti sollicitudo propositi exigebat, hoc tandem ad exequendum praedicta de ipsorum consilio prouidimus faciendum, vt quia haec vniuersorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium iuxta priscam sanctorum patrum consuetudinem conuocemus, propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum; in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas haereses, ad roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fouendam, inducendos principes & populos Christianos ad succursum, & subsidium terrae sanctae tam a clericis quam a laicis impendendum, cum ceteris quae longum esset per singula numerare, prouide statuantur inuiolabiliter obseruanda.

\* Circa praelatos & subditos regulares & saeculares quaecumque de ipsius approbatione Concilii visa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis eius, remedium & salutem animarum nostrarum, ac profectum & utilitatem populi Christiani. Quia vero ante biennium vniuersale non posset Concilium commode congregari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis prouinciis plenius explorare quae apostolica prouisionis limam exposcunt, & praemittere viros idoneos ad terrae sanctae negotium procurandum, vt, si exigente necessitate sacrum Concilium approbauerit, nos personaliter

ANNO  
CHRISTI  
1215.

ipsum negotium assumamus efficacius promouendum : credentes igitur hoc salutare propositum ab illo descendere , a quo est omne datum optimum , & omne donum perfectum , vniuersitati vestrae per apostolica scripta precipimus , quatenus vos taliter praeparatis , quod a praesenti dominicae incarnationis millesimo ducentesimo tertio-decimo anno vsque ad duos annos & dimidium , praefixis vobis pro termino Kalendis Nouembris , nostro vos conspectui praesentetis cum modestia & cautela : ita quod in vestra prouincia vnus vel duo de suffraganeis valeant episcopis remanere pro Christianitatis ministeriis exercendis , & tam illi quam alii , qui canonica forte praepeditione detenti personaliter venire nequiverint , idoneos pro se dirigant responsales , personarum & euectionum mediocritate seruata quam Lateranense Conciliu definiuit , vt nullus omnino plures , quiuis autem pauciores adducere secum possit , nec quisquam superfluas faciat & pomposas , sed necessarias tantum & moderatas expensas , ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem ; cum non saecularis applausus , sed spiritualis profectus in hoc sit negotio requirendus . Iniungatis autem vos , fratres archiepiscopi & episcopi , ex parte nostra vniuersis ecclesiarum capitulis , non solum cathedralium , sed etiam aliarum , vt praepositos , vel decanum , aut alios viros idoneos , ad Concilium pro se mittant , cum nonnulla sint in ipso tractanda quae specialiter ad ecclesiarum capitula pertinebunt . Interim vero & per vos ipsos , & per alios viros prudentes vniuersa subtiliter inquiratis , quae correctionis aut reformationis studio indigere videntur , & ea fideliter conscribentes , ad sacri Concilii perferatis examen circa subuentionem necessariam terrae sanctae , vbi Deus rex noster ante saecula salutem in medio terrae dignatus est operari , opem & operam efficaciter impensuri , assistendo fideliter & prudenter iis quos deputauimus ad hoc negotium specialiter procurandum . Nullus itaque se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahat , si canonicam vult effugere ultionem . Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur , quae , Domino faciente signum in bonum , ex magna iam parte cessare coeperunt . Nam & quanto immi-

Concilium  
Lateranen-  
se sub Ale-  
xandro III.  
Canone 4.

ment maiora pericula, tanto potiora remedia conuenit adhiberi: nunquam enim nauigabit per æquora qui semper expectat ut mare non concitet ex se fluctus. Datum Laterani decimotertio Kalendas Maii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Moguntinam prouinciam constitutis.

In eodem modo per Bremensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Gegnenensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Saltzburgensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Treuerensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Magdeburgensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Coloniensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Cyprum.

In eodem modo per Eboracensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Tarantasiensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Dublinensem.

In eodem modo per Vpsalensem.

In eodem modo per Ebredunensem.

In eodem modo catholico, & archiepiscopis, & episcopis, nec non abbatibus per Armeniam.

In eodem modo per Cafellensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per \*Yracliensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Atheniensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Thesalonicensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Larisensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Patraetensem prouinciam constitutis.

In

ANNO  
CHRISTI  
1215.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Cre-  
tensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Tua-  
mensensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Ta-  
rantasiensem prouinciam.

In eodem modo episcopo Pragensi.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Lun-  
densensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Strigo-  
niensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Ca-  
laritanam prouinciam.

In eodem modo archiepiscopis & episcopis per Vien-  
nensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per An-  
drinopolitanam prouinciam.

In eodem modo episcopis per Scotiam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Lug-  
dunensem prouinciam.

In eodem modo episcopo Regensi.

In eodem modo archiepiscopo Maronitano.

In eodem modo archiepiscopo Gertenfi.

In eodem modo archiepiscopo Miditensi.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per A-  
quensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Anti-  
uarensensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Ma-  
crensensem.

In eodem modo episcopis per Tusciam, & marciam  
Anconitanam, & ducatum Spoleti, constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Neu-  
pratensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Messi-  
polititanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus,  
prioribus per Pisanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Trino-  
polititanam.

*Concil. Tom. 28.*

R

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Verisensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Tyrensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Philippensem.

In eodem modo per Armaçanam prouinciam constitutis.

In eodem modo per Apuliam, & Terram laboris.

In eodem modo per Calabriam.

In eodem modo per Siciliam.

In eodem modo per Rauennatensem.

In eodem modo per Ragufensem prouinciam.

In eodem modo per Mediolanensem.

In eodem modo per Arelatensem.

In eodem modo per Narbonensem.

In eodem modo per Iodrensem.

In eodem modo per Idrosensem.

In eodem modo per Ianuensem.

In eodem modo per Bisuntinam.

In eodem modo per Arborensem.

In eodem modo per Aquileiensem.

In eodem modo per Bulgariam & Blachiam.

In eodem modo per Cantuariensem.

In eodem modo per Spalatinam.

In eodem modo per Gradensem.

In eodem modo per Turritanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Tarraconensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Toletanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Bracarensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Compostellanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Carthiensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopo per Nazarensem.

In eodem modo archiepiscopis & episcopis, & abba-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

tibus, tam Latinis quam Græcis, per Constantinopolitana-  
nam prouinciam.

In eodem modo episcopo Crotonensi.

In eodem modo illustri Constantinopolitano impe-  
ratori: Vineam Domini sabaoth, vsque Ex se fluctus. post-  
ea ponitur hæc clausula: Cum ergo deceat & expediat  
vt tua imperialis sublimitas ad Synodum tam solennem  
nuntios dirigat speciales, serenitatem tuam monemus, &  
exhortamur in Domino attentius, quatenus præscripto  
termino, vita comite, viros idoneos dirigere non postpo-  
nas, per quos tuæ nobis aperias beneplacitum volunta-  
tis, quia, quantum cum honestate poterimus, ad tuum li-  
benter & efficaciter intendemus commodum & hono-  
rem. Datum, &c.

In eodem modo illustri regi Cypri.

In eodem modo regi Noruatiæ.

In eodem modo regi Corcaia.

In eodem modo regi Lumbricensi.

In eodem modo regi Conaccia.

In eodem modo regi Mindiensi.

In eodem modo regi Suetiæ.

In eodem modo regi Aragonum: Nauarra, Castellæ,  
Legionensi, Portugallensi regibus, ita quod cuilibet per se.

In eodem modo magistro & fratribus militiae templi:  
Vineam Domini sabaoth, &c. vsque Donum perfectum.  
Vniuersis archiepiscopis & episcopis, & aliis ecclesiarum  
praelatis per vniuersas fere Christianorum prouincias con-  
stitutis, per apostolica scripta præcipimus & mandamus,  
vt seipsos taliter præparent, &c. verbis competenter mu-  
tatis vsque Requirendus. Iniungant etiam archiepiscopi  
& episcopi ex parte nostra vniuersis ecclesiarum capitu-  
lis, &c. vsque Fluctus. Cum igitur in hoc generali Con-  
cilio sint multa tractanda, quæ ad statum vestri ordinis  
pertinebunt, decet & expedit, vt ad idem Concilium vi-  
ros idoneos destinetis, qui negotia vestra debeant fide-  
liter procurare.

In eodem modo magistro & fratribus hospitalis Hie-  
rosolymitani.

In eodem modo capitulo Constantinopolitano: Vineam  
Domini sabaoth, &c. vsque Cum modestia & cautela.

Concil. Tom. 28.

R ij

Qui vero canonica forte prædicatione detenti personali-  
ter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsa-  
les, nec quisquam superfluas, &c. vsque Requirendus. Id-  
eoque discretioni vestræ per apostolica scripta manda-  
mus, quatenus ei, qui auctore Deo Constantinopolitana  
ecclesiæ præsidebit, ex parte nostra quæ præmissa sunt fi-  
deliter nuntietis, vt & ipse iuxta priscam formam nostro  
se conspectui repræsentet; nihilo minus de collegio ve-  
stro viros idoneos pro vobis ad hoc sacrum Concilium  
transmissuri, cum nonnulla sint in ipso tractanda, quæ spe-  
cialiter ad ecclesiarum capitula pertinebunt. Interim ve-  
ro per vos ipsos, & alios viros prudentes, &c. vsque Perfe-  
ratis examen. Nullus itaque se fallaciter, &c. vsque Ex  
se fluctus. Datum, &c.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus,  
prioribus per Lundensem prouinciam: Vineam Domi-  
ni, vsque Ex se fluctus. Datum, &c.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, & abba-  
tibus, prioribus per Senonensem.

In eodem modo per Rothomagensem prouinciam.

In eodem modo per Bituricensem prouinciam.

In eodem modo per Rhemensensem prouinciam.

In eodem modo per Turonensem prouinciam.

In eodem modo per Burdigalensem prouinciam.

In eodem fere modo Philippo illustri regi Francorum:  
Vineam Domini Sabaoth, &c. vsque Ex se fluctus. Cum  
ergo deceat & expediat, &c. vsque Commodum & ho-  
norem. Datum, &c.

In eodem fere modo abbati & conuentui Cisterci-  
ensis ordinis: Vineam Domini sabaoth, &c. vsque Ex se flu-  
ctus. Cum igitur hoc in generali Concilio, &c. vsque Pro-  
curare. Datum, &c.

In eodem modo abbati & cōuentui Præmonstratenfi.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBVS,  
prioribus, ceterisque clericis per regnum Franciæ  
constitutis.

**P**IVM & sanctum propositum, quod de subuentione  
terræ sanctæ pro cōmuni vtilitate Deo inspirante con-  
cepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex genera-

ANNO  
CHRISTI  
1135.

libus literis poteritis aduertere manifeste. Ad hoc igitur salutare propositum exequendum dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte, presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, destinamus, merito suæ probitatis speciali gratia nobis acceptum: per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eum vice nostra, imo potius vice Christi, deuote suscipere ac honeste tractare curetis, ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes; præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium terræ sanctæ: nos enim, quod super his & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus prouida deliberatione statuerit, præcipimus inuiolabiliter obseruari; concedentes eidem, vt euellat & destruat, ædificet atque plantet, quæ sibi euellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum, &c.

R. TITVLI SANCTI STEPHANI  
in Cælio monte presbytero cardinali, apostolicæ  
sedis legato.

VT efficacius possis intendere ad subsidium terræ sanctæ, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt iis, qui ad tuam vocationem deuote conuenerint ad audiendum verbum salutiferæ Crucis, de iniunctis sibi pœnitentiis vice nostra certam valeas indulgentiam impertiri. De torneamentis autem hoc tibi duximus concedendum, vt de virorum prudentum consilio salubriter studeas quod terræ sanctæ vtilitati secundum Deum videris expedire. Datum, &c.

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

QVAM sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & regnum Franciæ habeamus, nouit ille qui testis est in celo fidelis, cuius super hoc testimonium secure possumus inuocare: adeo quippe regni tui exaltationem diligimus, priuilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quod æquanimius ecclesiæ Romanæ, quam ipsi regno, sustineremus magnum aliquid aduersitatis accidere, cum facilius hæc quam illud ab imminente posset periculo liberari. Vt ergo super hoc

R. iij

amplius securus reddaris & certus, mittimus ad tuam regalem presentiam dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, qui ea, quæ plenius accepit a nobis, expressius tibi referat viva voce: serenitatem tuam monentes, & exhortantes in Domino, quatenus eum recipias, & honeste pertractes, ipsius acquiescendo salubribus monitis & consiliis propter Deum. Datum, &c.

ANNO  
CHRISTI  
1235.

In eodem modo nobili viro Ludouico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris primogenito.

In eodem modo nobili mulieri Blancae uxori nobilis viri Ludouici in Christo filii nostri illustris regis Francorum primogeniti.

*PATRIARCHÆ ALEXANDRINO.*

**E**x literis quas aliquoties tua nobis fraternitas destinavit, & aliis quoque indiciis, cognouimus euidenter te non solum ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam, verum etiam ad personam nostram specialiter deuotionem habere debitam & deuotam: propter quod habentes te in visceribus caritatis, tibi compatimur in tribulationibus quas pateris & pressuris, quamquam & tibi & nobis sit in eis potius gloriandum, cum id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis huiusmodi, supra modum in sublimitate pondus æternæ gloriæ operetur, nec sint condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam reuelandam in illis qui pro Christi nomine patiuntur. Propter quod Apostolus sibi placebat in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus & angustiis quas sustinebat pro Christo, & cum infirmabatur tunc maxime potens erat; sciens quod virtus in infirmitate perficitur, & quod licet per eam homo corrumpatur exterior, interior tamen per eamdem iugiter renouatur: timentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum; qui suos non solum de tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat, ut quasi meridianus fulgor consurgat eis ad vesperam, & cum se consumptos putauerint, ut Lucifer orian-

ANNO  
 CHRISTI  
 1115.

tur. Benedicas igitur Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi, qui te in omni benedictione spirituali secundum gratia sua diuitias benedixit, & vt esses immaculatus in conspectu ipsius, dedit tibi vt non solum credas in Christum, sed vt pro Christo etiam patiaris. Porta ergo, carissime frater, in corpore tuo stigmata Iesu Christi, per quem mundus tibi crucifixus est, & tu mundo: stabilis esto, & aduersus mundanas aduersitates immobilis, abundans in opere Dei, semper sciens quod labor tuus non est inanis in Domino; & sicut in te Christi passiones abundant, ita & per Christum abundet consolatio tua, qui te supra id quod potes non patietur tentari, sed faciet in ipsa tentatione prouentum, vt valeas sustinere, cum iam ipso docente didiceris, in quibus es esse sufficiens, & cum Apostolo scias fatiari, scias & esurire, & abundare, & penuriam pati, ac possis in eo qui te confortat omnia tolerare. Fideles quoque ab infidelibus in captiuitate detentos sedulis exhortationibus corrobora & confirma, ne deficiant in tribulationibus suis, sed cogitantes in luctu victoriam, & primum in labore, bonum certamen certare non desinant, & fidem seruando cursum feliciter consummare; vt de reliquo coronam iustitiae merito valeant expectare, quam reddet eis in illa die Dominus iustus iudex: scientes quod nos ad liberationem eorum studium diligens & operam efficacem, si desuper datum fuerit, satagimus adhibere. Denique ad tuam duximus notitiam perferendum, quod cum inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc saeculo principaliter affectemus, vt ad recuperationem videlicet terrae sanctae, ac reformationem vniuersalis ecclesiae valeamus intendere cum effectu hoc ad exequendum praedicta de fratrum nostrorum consilio prouidimus faciendum, vt scilicet, quia haec vniuersorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium iuxta priscam sanctorum patrum consuetudinem conuocemus opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas haereses, & roborandam fidem; sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fouendam, inducendos principes & populos Christianos

ad succursum & subsidium terræ sanctæ tam a clericis quam laicis impendendum, cum ceteris quæ longum esset per singula numerare, provide statuatur inuiolabiliter obseruanda, circa prælatos & subditos, regulares & sæculares, ad diuini nominis gloriam & honorem, remedium & salutem animarum nostrarum, ac profectum & utilitatem populi Christiani, patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, per vniuersas fere Christianorum prouincias constitutis per scripta nostra mandantes, vt se taliter student præparare, quod a præsentis dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo tertiodecimo anno vsque ad duos annos & dimidium, præfixis sibi pro termino Kalendis Nouembris, nostro se conspectui repræsentent cum modestia & cautela, ita quod qui canonica forte præpeditioe detenti personaliter venire nequuerint, aut remanserint pro Christianis ministeriis exercendis, idoneos per se dirigant responsales. Quia igitur in tanto negotio tuam desideramus habere præsentiam, fraternitatem tuam rogamus districtius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, si fieri poterit, personaliter ad præsentiam nostram accedas termino suprascripto: quod si forsân venire nequieris, saltem aliquem virum idoneum pro te ad Concilium mittere non postponas. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis apud iustissimum Iudicem & piissimum Patrem orationum impertire suffragium, quo plurimum indigemus.

A. HIEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ,  
*apostolicæ sedis legato.*

**P**IVM & sanctum propositum, quod de subuentione terræ sanctæ, pro communi salute, Deo inspirante concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus literis ad vniuersas pene Christianorum prouincias destinatis, quarum tibi transcripta dirigimus, intelliges manifeste: super quo tanto pleniori gaudio hilaresces, quanto profecto id ardentiori desiderio affectasti. Ne vero detestabilis conuersatio quorundam inhabitantium terram ipsam huius salutaris executionem propositi aut impediat aut retardet, cum Deum suis nefandis operibus non ad indulgentiam prouocent, sed ad iram;

carif.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

carissimam nobis tuæ fraternitatis prudentiam obsecramus in Domino, quatenus more prudentis medici ad lethalem eorum plagam curandam diuersis experimentis vtaris, eosque studeas ad veram pœnitentiam reuocare, si forte salubribus acquiescendo consiliis, diuinæ virtutis accipiant medicinam, per quam diuinæ sentiant medicinæ virtutem. Licet autem dura Saracenorum perfidia non consueuerit humilibus Christianorum precibus emolliri, vt tamen ille nostram humilitatem respiciat qui superbis resistit, humilibus vero dat gratiam, de viorum prudentum consilio diuinum præ oculis timorem habentium Soldanum Damasci & Babylonæ, qui hereditatem Christi detinet occupatam, apostolicis prouidimus literis humiliter præmonendum, secundum formam quam in ipsis literis videbis expressam. Nam & dispositionibus nostris auditis, quæ vtinam eum possent omnino latere, fortasse omnipotens Deus suum in eum terrorem immittet, & benigne rogatus ostendet facere se spontaneum, quod dure compulsus facturum se putaret inuitum. Vnde volumus, & mandamus, quatenus cum nuntiis nostris viros prouidos & fideles ad eum facias destinari, qui apud ipsum nostrum studeant promouere mandatum. Interim autem carissimum in Christo filium nostrum I. Hierosolymitanum regem illustrem, & tam hospitalis quam militiae templi fratres, cum peregrinis pariter & indigenis ad defensionem & custodiam huius terræ prudenter moneas, & inducas, ne (quod auertat Dominus) ei quidquam aduersi valeat euenire, diuino semper auxilio inuocato. Quia vero tuam nobis præsentiam ad hoc salutare propositum exequendum valde credimus necessariam, imo quammaxime fructuosam, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, si videris posse fieri absque graui dispendio terræ sanctæ, præfixum ad vniuersale Concilium celebrandum, quam cito poteris, satagas præuenire terminum, ducens aliquos viros tecum in consilio prouidos, & in commisso fideles, qui plene nouerint circumstantias causarum & rerum, temporum & locorum; quibus vndique circumspectis ad deliberationem hereditatis dominicæ vtilius intendere

*Concil. Tom. 28.*

S

valeamus. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis apud iustissimum Iudicem & piissimum Patrem orationum impertire suffragium, quo plurimum indigemus.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

SERMO I.  
INNOCENTII PAPÆ III.  
IN CONCILIO GENERALI LATERANENSI HABITVS.

*Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar, id est, antequam moriar. Lucæ 22.*

Philip. 1.

**Q**VIA mihi viuere Christus est, & mori lucrum, non abnuo, si dispositum est a Deo, bibere calicem passionis, siue pro defensione fidei catholicæ, siue pro subsidio terræ sanctæ, siue pro statu ecclesiasticæ libertatis, mihi fuerit propinatus: quamquam desiderem in carne permanere, donec consummetur opus inceptum. Verumtamen non mea, sed Dei voluntas. Et ideo dixi vobis: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Multa sunt & varia hominum desideria: quis ea sufficit explicare? Omnia tamen reduci possunt ad duo, spirituale videlicet & carnale: spirituale, quod de celestibus & æternis; carnale vero, de temporalibus & terrenis.

Encl. 22.

Psal. 118.

De isto Propheta dicit in psalmo: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Et Sponsa dicit in

Cant. 2.

Canticis: *Sub umbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* De illo dicit Apostolus: *Desideria carnis fugite, quæ militant aduersus animam.* Et alius: *Desiderium malignum longe fac a me.* Ego autem illius inuoco testimonium, qui testis est in cælo fidelis, quod non carnali, sed

1. Petr. 2.

Ecc. 23.

spirituali desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum: non propter commoditatem terrenam, aut gloriam temporalem, sed propter reformationem vniuersalis ecclesiæ, ad liberationem potissimum terræ sanctæ: propter quæ duo principaliter & præcipue hoc sacrum Concilium conuocaui. Sed forte dicetis: Quid est hoc pascha quod desideras manducare nobiscum? Pascha namq; diuersis modis accipitur in scripturis diuinis. Pro die, vnde: *Appropinquauit dies ætymorü, qui dicitur pascha:* pro hora, vnde:

Luc. 22.

ANNO  
CHRISTI  
1115.

*Quartadecima ad vesperam pascha Domini est.* Pro agno, unde *Leuit. 23.*  
*de: Venit dies azymorum, quando necesse erat occidi pascha.* *Luc. 22.*  
 Pro azymo, unde: *Non introierunt prætorium, vt non conta-* *Ioan. 18.*  
*minarentur, sed comederent pascha.* Pro festo, unde: *Ante diem* *Ioan. 13.*  
*festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat de hoc*  
*mundo ad Patrem.* Et etiam pro ipso Christo, unde: *Pascha* *1. Cor. 5.*  
*nostrum immolatus est Christus.* Sane pascha Hebraice dicitur *Exod. 12.*  
 phasè, quod est transitus, Græce vero a *πάσχω*, quod est pati:  
 quia per passiones debemus transire ad gloriã, secundum  
 quod Veritas ipsa dicebat: *Oportebat pati Christum, & sic* *Luc. 24.*  
*intrare in gloriam suam.* Quia si volumus conregnare, oportet  
 & compati: licet non sint condignæ passiones huius *Rom. 8.*  
 temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.  
*Hoc pascha, quod est phasè, id est transitus, desiderio desi-* *Luc. 22.*  
*deravi manducare vobiscum.* De quo in Exodo dicitur: *Com-* *Exod. 12.*  
*edent festinanter.* Est enim phasè, id est transitus Domi-  
 ni. Legitur quippe in libro Regum, & in Paralipomenon *4. Reg. 24.*  
*apertissime continetur, quod 18. anno regni Iosia regis* *2. Paral. 35.*  
*restauratum est templum, & celebratum est phasè, quale*  
*non fuit factum in Israel a diebus iudicum atque regum.*  
 Utinam hæc historia instantis temporis sit parabola, vt  
 in hoc nostri pontificatus anno 18. templum Domini, quod  
 est ecclesia, restaretur, & celebretur phasè, siue pascha, vi-  
 delicet hoc solenne Concilium, per quod fiat transitus de  
 vitiis ad virtutes, quale reuera non fuit factum in Israel a  
 diebus iudicum atque regum, id est a temporibus patrum  
 sanctorum, atque catholicorum principum, in populo  
 Christiano, Deum vidente per fidem. Et ego pro certo  
 spero in eo qui suis promittit fidelibus, dicens: *Vbicumque* *Matth. 18.*  
*duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum*  
*sum: quia ipse in medio nostrorum adest, ad celebrandum*  
 hoc pascha, qui congregati sumus in hac Saluatoris basili-  
 ca in nomine Saluatoris, pro his quæ pertinent ad salu-  
 tem. Triplex autem pascha siue phasè desidero vobiscum  
 celebrare, corporale, spirituale, æternale; corporale, vt  
 fiat transitus de loco ad locum, pro miserabili Ierusalem  
 liberanda; spirituale, vt fiat transitus de statu ad statum  
 pro vniuersali ecclesia reformanda; æternale, vt fiat tran-  
 situs de vita in vitam pro cælesti gloria obtinenda. De  
 corporali transitu clamat ad nos miserabiliter Ierusalem  
*Concil. Tom. 28.*

*Thren. 1.* in Threnis per Ieremiam: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* Ergo transite ad me omnes qui diligitis me, vt a tanta miseria me liberetis. Ego enim, quæ solebam esse domina gentium, modo facta sum sub tributo: quæ solebam esse plena populo, modo sedeo quasi sola. *Via Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem:* facti sunt hostes eius in capite: loca sancta profanata sunt vniuersa, & sepulcrum Domini est inglorium, quod solebat esse gloriosum. Vbi colebatur vnigenitus Dei Filius Iesus Christus, modo colitur filius perditionis Machometus. Insultant mihi filii alieni, & impropertant lignum Crucis, dicentes: Confidebas in ligno: ecce nunc adiuuet, si potest. O quantus pudor, quanta confusio, quantum opprobrium, quod filii ancillæ, vilissimi Agareni, detinent matrem nostram, matrem vniuersorum fidelium ancillatam! illam vtique de qua dicit Psalmista: *Mater Sion dicit: Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus:* vbi Deus rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari. Quid itaque faciemus? Ecce ego, dilecti fratres, totum me vobis committo, totum me vobis expono, paratus iuxta consilium vestrum, si videritis expedire, personalem subire laborem, & transire ad reges, & principes & populos & nationes: adhuc autem & vltra, si clamore valido eos valeam excitare, vt surgant ad Domini prælium præliandum, & vindicandam iniuriam Crucifixi, qui pro peccatis nostris eiectus est de terra, & de sede sua, quam sanguine comparauit, & in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit. Quidquid tamen egerint alii, nos sacerdotes Domini hoc negotium specialiter assumamus, subuenientes & succurrentes, in personis & rebus, necessitatibus terræ sanctæ, ita quod nullus omnino remaneat, qui non sit particeps tanti operis, ne sit expers tantæ mercedis. Nam & olim in simili casu per sacerdotes fecit Deus salutem in Israel, quando per Machabæos, vtique sacerdotes, filios Matthatiæ, liberauit Ierusalem & templum de manibus impiorum. De spirituali vero transitu Dominus ait ad virum vestitum lineis, *habentem atramentarium scriptoris ad renes: Transi per mediam ciuitatem, & signa Thau super frontes virorum gemen-*

ANNO  
CHRISTI  
1135.

*tium atque dolentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio eius. Deinde dixit sex viris habentibus vasa interitus in manibus suis: Transite per ciuitatem, sequentes eum, & percutite omnem, super quem non inueneritis Thau. Nemini parcat oculus vester, & a sanctuario meo incipite. Vir vestitus lineis, habens atramentarium scriptoris ad renes eius, is debet esse qui loquatur, vir virtutibus virens, qualis erat ille de quo dicit scriptura: Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir iste simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Vestitus lineis, id est honestis moribus, & bonis operibus adornatus. Iuxta quod alibi dicitur: Omni tempore vestimenta tua sint candida, id est opera tua munda. Linum enim munditiam & honestatem designat propter candorem, ad quem per carnis macerationem & contritionem perducitur, de quo vestis sacerdotalis fiebat in lege. Scriptor autem egregius & supremus Spiritus sanctus est digitus Dei, quo scriptæ fuerunt duæ tabulæ testamenti. De quo dicit Psalmista: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Huius scriptoris atramentarium est donum scientiæ, de quo per calamum linguæ atramentum doctrinæ profertur, & in cordis super-scribitur pergameno. In renibus sedes est desiderii, de quibus Dominus præcipit: Renes vestros accingetis. Et Psalmista orabat ad Dominum: Vre renes meos & cor meum. Ille igitur habet atramentarium scriptoris, qui per donum scientiæ sibi a Spiritu sancto datum desideria carnis cohibet & restringit, vt vita non discrepet a doctrina, ne sibi ipsi dicatur: Medice cura te ipsum: qui prædicas non furandum, furaris: qui doces non mæchandum, mæcharis. Propterea Veritas ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Hinc transire præcipitur per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium. T est vltima litera Hebraici alphabeti, exprimens formam Crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus titulum superponeret; quam & sanguis agni positus super vtrumque postem, & in superliminari-bus domorum mirifice designabat. Hoc signum gerit in fronte, qui virtutem Crucis ostendit in opere: vt iuxta quod dicit Apostolus, Crucifigat carnem suam cum vitiis & concupiscentiis: idemque cum Apostolo dicat: Mibi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus*

Iob. 1.

Ecc. 9.

Psal. 44.

Exod. 22.

Psal. 25.

Luc. 4.

Rom. 2.

Luc. 12.

Gal. 5.

Gal. 6.

*crucifixus est, & ego mundo.* Tales profecto dolent & gemunt super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio ciuitatis, quia peccata proximorum frivola sunt iustorum. *Quis*, inquit Apostolus, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Vir ergo vestitus lineis habens atramentarium scriptoris ad renes debet transire per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius: quoniam summus pontifex, qui super domum Israel constitutus est speculator, transire debet per vniuersam ecclesiam, quæ est ciuitas Regis magni, ciuitas posita supra montem, inuestigando & inquirendo merita singulorum, ne dicant bonum malum, vel malum bonum, ne ponant tenebras lucem, & lucem tenebras, ne mortificent animas quæ non moriuntur, aut viuificent animas quæ non viuunt. Et ideo, vt distinguat & discernat inter illos & istos, debet signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium, quatenus ostendat eos, qui dolent & gemunt super abominationibus quæ in medio ecclesiæ perpetrantur, signatos esse Thau in frontibus suis. Tales profecto pro culpa dolent, & pro infamia gemunt super abominationibus, quæ sunt in medio ciuitatis: quoniam intantum iam processit abominatio, quod & infamis est culpa, & est culpa infamia. Vnde si foderimus studiosè parietem, sicut propheta præcipitur, videbimus abominationes maiores, abominationes pessimas, quas nonnulli exercent in templo. Sex viri habentes vasa interitus vnusquisque in manu sua, vos esse debetis viri virtutum: sex quidem propter numeri sacramentum, vt perfecti sitis in opere ac sermone: senarius enim numerus est perfectus, eo quod redditur ex suis partibus aggregatis. Vnde sexta die perfecit Deus cælum & terram, & omnem ornatum eorum. Et cum in plenitudine temporis sexta venisset ætate, sexta die, sub hora sexta, genus redemit humanum. Ideoque sex vltima verba dixit in Cruce. Vas interitus, quod tenere debetis in manibus vestris ad interimendum scelestos, est pontificalis auctoritas, quam exercere debetis in opere ad perimendum iniquos, exemplo Psalmistæ dicentis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ci-*

2. Cor. 11.

Isa. 5.

Ezech. 13.

Ezech. 12.

Gen. 1.

Psal. 100.

ANNO  
CHRISTI  
1135.

uitate Domini omnes operantes iniquitatem. De his vasis alibi dicitur: *Tetendit arcum suum, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Vobis ergo præcipitur: Transite per mediam ciuitatem, sequentes eum, summum videlicet sacerdotem, quasi ducem, principem & magistrum, vt percutiatis interdicens & suspendendo, excommunicando & deponendo, prout culpæ qualitas postulauerit, omnem super quem non inueneritis Thau signatum ab ipso qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Signatis enim nocendum non est, iuxta quod alibi dicitur: *Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* De ceteris autem dicitur: *Nemini parcat oculus vester, vt non sit in vobis personarum acceptio, recoletibus illud quod Moyse legitur dixisse Leuitis: Si quis est Domini, iungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filii Leui iuxta sermonem Moyse.* Et vos similiter faciatis. Porro sic percutite, vt fanetis: sic occidite, vt viuificetis, eius exemplo qui ait: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Et a sanctuario meo, inquit, incipite. *Tempus enim est, sicut beatus Apostolus ait: vt iudicium incipiat a domo Domini.* Nam omnis in populo corruptela principaliter procedit a clero: quia si sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, facit delinquere populum: quippe dum laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipsi eorum exemplo ad iniquitatem & scelera prolabantur. Cumque reprehenduntur ab aliquo, protinus se excusant, dicentes: Non potest filius facere nisi quod viderit patrem facientem: & sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. Impletum est illud propheticum: *Erit sicut populus, sic sacerdos: quinimo, erubescet Sidon, ait mare.* Hinc etiam mala prouenerunt in populo Christiano. Perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcatur, hæretici pullulant, insolescunt schismatici, perfidi sæuiunt, præualent Agareni. De transitu autem æternali Dominus ait: *Beati sunt serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis.* De hoc transitu sane martyres gloriantur in psalmo,

Psal. 7.

Apo. 3.

Apo. 17.

Ezech. 9.

Exod. 32.

Dent. 32.

Ezech. 9.

1. Pet. 4.

Leuit. 4.

Ioan. 5.

Osea 4.

Isa. 23.

Luc. 12.

*Psal. 65.* dicentes: *Transuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Hoc pascha præ ceteris desidero manducare vobiscum in regno Dei. Est autem manducatio corporalis & spiritualis. De illa dicitur: *Date illis manducare:* de illa dicitur: *Malta, & manduca.* Item manducatio culpæ, & manducatio pœnæ. De illa dicitur: *Manducauerunt sacrificia mortuorum:* de illa legitur: *Gladius meus manducabit carnes.* Rursus est manducatio doctrinalis, & est manducatio pœnitentialis. De illa dicitur: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis:* de illa legitur: *Cinerem sicut panem manducauerunt.* Est præterea manducatio eucharistiæ, & manducatio gloriæ. De illa dicitur: *Qui manducat me, vita viuet propter me:* de illa legitur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hac vltima manducatione præcipue desidero manducare vobiscum hoc pascha, vt transeamus de labore ad requiem, de dolore ad gaudium, de infelicitate ad gloriam, de morte ad vitam, de corruptione ad æternitatem; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.  
INNOCENTII PAPÆ III.  
IN CONCILIO GENERALI LATERANENSI HABITVS.

*Psal. 67.* *Si dormiatis inter medios clericos, pennæ columbæ de argentata, & posteriora dorsi eius in specie auri.*

*Ibidem.* **D**vo sunt nobis ad meritum necessaria, vita scilicet & doctrina. Alterum propter nos, alterum propter proximos. Cœpit enim Iesus docere & facere, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: peccatum non fecit, vt sit honestas in vita; nec inuentus est dolus in ore eius, vt sit veritas in doctrina. Quæ duo commendantur nobis in verbis propositis. De vita præmittitur: *Si dormiatis.* De doctrina subiungitur: *Inter medios clericos.* Hinc est igitur, quod a veste pontificali dependebant mala granata, cum tintinnabulis aureis. Per malum granatum accipitur operatio, per tintinnabulum aureum intelligitur prædicatio: quæ duo debent in sacerdote coniungi, ne sine illis ingrediens sanctuarium moriatur.

Quia

ANNO  
 CHRISTI  
 1215.

Quia vero per meritum peruenitur ad præmium, recte post meritum promittitur præmium. Quod & duplex promittitur; vnum in præfenti, & alterum in futuro. Pietas enim promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ, vt centuplum accipiat, & vitam æternam possideat: centuplum in præfenti, vitam æternam in futuro. De præfenti præmittitur: *Pennæ columbæ deargentatæ.* Pfal. 83. De futuro subiungitur: *Et posteriora dorsi eius in specie auri.* Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus. Gratiam in præfenti præstat ad meritum, gloriam in futuro præstabit ad præmium. Est autem duplex dormitio, vna mortis, altera vitæ: sed vtraque diuiditur: nam alia est dormitio mortis corporalis, & hæc est pœna; & alia dormitio spiritualis, & hæc est culpa. De prima Dominus inquit apostolis: *Lazarus amicus noster dormit:* & Apostolus ait: *Nolo vos ignorare de dormientibus,* &c. de secunda dicit Dauid: *Numquid qui dormit non adiciet vt resurgat?* & Apostolus inquit: *Surge qui dormis: exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* 1. Theff. 4. Psal. 40. Ephes. 5.

Hoc autem tribus modis admittitur, per ignorantiam, negligentiam, & concupiscentiam. De somno ignorantix dicit Psalmista: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte:* de somno negligentix Salomon ait: *Vsquequo piger dormis? quando consurges de somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas, vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus:* de somno concupiscentix, dicit Dauid: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Ceterum dormitio vitæ duplex quoque legitur in scripturis: vna vitæ corporalis proueniens ex natura: altera vitæ spiritualis procedens ex gratia. De prima Dominus dixit apostolis: *Dormite iam, & requiescite:* de secunda sponsa dicit in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sic & nos carissimi vigilemus, & dormiamus: sed dormiamus a malis, & vigilemus in bonis. Psal. 11. Prov. 6. Psal. 73. Matth. 26. Cant. 5.

Siquidem vitæ perfectio in duobus consistit, in declinandis vitiis, & in exercendis virtutibus, secundum illud: *Diuerte a malo, & fac bonum.* Per alterum vitamus supplicium, per alterum acquirimus præmium. Quæ duo per dormitionem conuenienter intelliguntur. Somnus enim,

Concil. Tom. 28.

T

vt afferunt qui de rerum naturis edisserunt, est quies animalium virtutum, cum intentione naturalium. Nos autem, qui spirituales sumus, spiritualiter has in spiritu possumus inuenire. Sunt enim tres naturales vires in anima, vis rationalis, vis concupiscibilis, vis irascibilis. Rationabilitas quasi vis digestiua, quæ discernit inter bonum & malum, inter lucem & tenebras, inter sanctum & profanum: concupiscibilitas, quasi vis appetitiua, bonum eligit, lucem appetit, & sanctum inquirat: irascibilitas, quasi vis expulsiua, malum abiicit, tenebras repellit, & profanum respuit. Econtra sunt tres animales defectus in anima, ignorantia, negligentia, & concupiscentia. Contra rationabilitatem, est ignorantia; contra irascibilitatem, negligentia; contra concupiscibilitatem, concupiscentia: ab his tribus vitiis maxime nobis est dormiendum. Nam ex negligentia procedit delictum, ex concupiscentia procedit peccatum, ex ignorantia prouenit delictum atque peccatum. Differt enim inter delictum & peccatum: quia delictum in omittendo, peccatum in committendo consistit. Delictum utique est non facere faciendum; peccatum vero agere non agendum. Dormiendum est nobis ab ignorantia, præsertim ab ignorantia mandatorum in præceptis diuinis, & officiorum in sacramentis ecclesiasticis: quæ duo sine periculo non possumus ignorare. Scriptum est enim: *Ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Ait autem Deus propheta: *Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Et populus meus captiuus ductus est, quia non habuit scientiam: & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Noluit intelligere vt bene ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo. Nam si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Caueamus igitur nos præcipue ignorantiam, quibus datum est ex officio nosse mysteria regni Dei, ceteris autem in parabolis. Nos enim debemus esse boues arantes, ceteri sunt asinae iuxta pascentes. Nos psallentes Deo repromittimus: *In tuis iustificationibus meditabor, non obliuiscar sermones tuos.* Nos debemus esse lux mundi. Si vero lumen quod in nobis est tenebræ fiat, tenebræ quantæ erunt? Nos debemus esse sal terræ. *Quod si sal euauerit,*

Psal. 74.

Osee 4.

Ier. 5.

Psal. 35.

1. Cor. 2.

Math. 13.

Psal. 118.

Math. 5.

ANNO  
CAROLI  
1215.ANNO  
CAROLI  
1215.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

*in quo salietur? Ad nihilum valet Ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quiescat igitur ignorantia, & rationalitas intendatur, secundum illud: Rationabile sit obsequium vestrum: & Parati sitis reddere rationem omni potestati scienti vos de ea, quæ in vobis est, fide.* Hoc enim est logion, siue rationale, quod pontifex ferebat in pectore, in quo scriptum est *vr̄im & tum̄im*, id est manifestatio & veritas. Nam in pectore sacerdotis manifesta debet esse cognitio veritatis, secundum illud propheticum: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Erat autem rationale quadrangulum: quia sacerdos debet discernere inter quatuor: inter verum & falsum, ne deuiet in credendis: inter bonum & malum, ne deuiet in agendis. Erat & duplex: quia debet discernere pro duobus: pro se & pro populo: ne, si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant. Dormiamus ergo ab ignorantia: quia non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Non dormitabit a pœna, nisi nos dormiamus a culpa. Dormiendum est quoque nobis a negligentia, præsertim in oratione quæ spectat ad Dominum, & correctione quæ spectat ad proximum: quæ duo non possumus sine peccato negligere. Quidam enim orant tam negligentem & indeuote, quod ore quidem loquuntur cælestia, sed corde meditantur terrena; quibus Dominus improperat per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* De talibus legitur: *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Ore suo benedicunt, qui loquuntur eloquia veritatis; sed corde maledicunt, qui meditantur inania vanitatis. Alii vero tam festinanter orant & indiscrete, quod medio prætermisso non proferrunt nisi caput & caudam. Sed qui semetipsum non audit, quomodo Deus illum exaudiet? Qui taliter orat, non inclinat Deum ad indulgentiam, sed prouocat illum ad iracundiam. Tu autem cum oras, intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Intra in cubiculum cordis, ostio sensuum intercluso, ne muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Ora Patrem tuum non in multiloquio, sicut ethnici faciunt, qui putant in multiloquio exaudiri, sed in corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Sic orauerunt Moyses & Susanna, qui clamauerunt ad Dominum,

Concil. Tom. 28.

T ij

ANNO CHRISTI 1135.

& de necessitatibus eorum liberavit eos. Clamauerunt, non tam vocis intentione, quam cordis deuotione, dicente Psalmista: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Hinc & Apostolus ait: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris.* Deus enim non tam auditor est vocis quam cordis: nec est admonendus clamoribus, qui renum est scrutator & cordium. Quod Anna gerens typum ecclesie legitur obseruasse, quæ non petitione clamosa, sed oratione deuota quod petiit impetrauit. Legitur enim in libro Regum, quod Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia sua mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Unde in psalmo: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Quia sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Expediit tamen ut oris pronuntiatio deuotum comiteretur affectum: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio deuotioni. Audi Psalmistam: *Ad ipsum ore meo clamaui: & exaltaui sub lingua mea.* Vos ergo, carissimi, cum oratis, stete coram Domino Deo nostro compuncti, humiles & deuoti, sine motu, sine risu, sine cachinno; nolite nimium clamare, nimium festinare, sed pronuntiate distincte ad intelligendum: quia *maledictus homo qui opus Dei agit negligenter.* Ergo *seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* præsertim in sacrificio in quo mortis Christi memoria celebratur. *Hoc,* inquit, *facite in meam commemorationem.* Et Apostolus dicit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* In quolibet enim officio negligentia est peccatum, sed in sacrificio est periculum: quoniam qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Caueamus quoque negligentiam in correctione peccantium. Quidam enim sunt canes muti, non valentes latrare, palpantes vitia peccatorum, vel cupiditatis amore, vel fragilitatis timore: cupiditatis amore, ne forte perdant oblationes aut decimas: fragilitatis timore, ne forte incurrant indignationem aut odium. Contra tales dicitur per prophetam: *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Item: *Ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum rursus. Prophetæ tui viderunt tibi stulta & falsa, nec aperiebant tibi iniquitatem*

Psal. 36.  
Ephes. 5.

1 Reg. 4.

Psal. 4.  
Psal. 50.

Psal. 65.

Ierem. 48.

Psal. 1.

Luce. 22.

1. Cor. 11.

Exech. 13.

Isa. 56.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

tuam, ut te ad penitentiam pronocarent. Econtra præcipitur: *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Hinc Apostolus dicebat Ephesiis: *Mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi quo minus annuntiare omne consilium Dei vobis. Audi prophetam? Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Non timuit Ioannes Herodem, quo minus eum libere reprehenderet, propter Herodiadem, quam, viuento viro suo Philippo, tenebat uxorem. Quiescat ergo negligentia, & irascibilitas intendatur, secundum illud: *Irafcimini & nolite peccare, id est irascimini vitiis, ne peccetis.* Hic est zelus ille, quo Christus accensus eiecit vendentes & ementes de templo, secundum illud: *Zelus domus tuæ comedit me:* quo succensus Phinees Iudæum cum Madianitide coeuntem pugione transfodit. Discretus ergo sacerdos contra rebelles & obstinatos seueritatem exerceat, erga humiles & penitentes exhibeat pietatem. Non illum sequimini femiuuo mortuo relicto in vulneribus, quem Samaritanus duxit in stabulum, & vinum superinfudit & oleum. Et in arca tabernaculi virga continebatur & manna. Dormiendum est quoque nobis ab omni concupiscentia, præsertim a concupiscentia rerum quæ procedit ex auaritia, & concupiscentia mulierum quæ provenit ex luxuria. Scriptum est enim: *Nihil est auaro scelestius, & nihil iniquius quam amare pecuniam.* Verbum est sapientis, quod confirmat Apostolus dicens: *Qui volunt fieri diuites, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas.* Et alibi: *Auaritia est idolorum seruitus.* Audite quid contra cupidos sacerdotes dicat Prophetæ: *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant. Infernus & perditio nunquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer affer.* Nam crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Porro transit mundus & concupiscentia eius. Ne timeamus ergo, cum diues factus fuerit homo, & multiplicata fuerit gloria domus eius. Non enim cum morietur accipiet hæc omnia, neque descendet

*Psalm. 61.* cum eo gloria eius. Nec hoc dico, quin liceat diuitias habere, sed quia non licet diuitiis inherere, secundum illud: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Nullus ergo vestrum alienum parochianum seducat, aut alienam parochiam inuadat. Præceptum est enim, vt nemo mittat falcem in messem alienam, neque transgrediatur terminos, quos posuerunt patres nostri. Caueamus nihilo minus a concupiscentia mulierum. Nam *vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.* Et propter speciem mulieris multi perierunt. *Vitæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, semper sequuntur dolor & pœnitentia. *Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidum oleo guttur eius, nouissima autem illius amara sicut absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Familiaris est inimicus, habitans non procul, sed prope; non extra, sed intra. Nam virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Nunquam fugatur, nisi cum fugitur: nunquam mactatur, nisi cum maceratur. Nos autem in sacris ordinibus constituti iam ex necessitate tenemur pudicitiam custodire. Scriptum est enim, quod cum Dauid fugeret persecutionem Saul, venit in Nobe ad Achimelech sacerdotem, postulans sibi dari quinque panes ad esuriam expellendam. Et respondit sacerdos: *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, manducent.* Non dixit, Si habent fidem, spem & caritatem, Si habent iustitiam, fortitudinem, prudentiam & temperantiam, Si habent spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini: sed dixit, *Si mundi sunt, maxime a mulieribus, manducent:* quia panem sanctum digne manducare non possunt, nisi qui mundi sunt a coitu mulierum. Quiescat ergo concupiscentia, & concupiscibilitas incendatur. Secundum illud: *Psalm. 118.* *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Incendatur autem per tres principales virtutes, fidem, spem, & caritatem, vt rationabilitas illuminetur per fidem, irascibilitas confortetur per spem, concupiscibilitas informetur per caritatem. Illuminetur autem per fidei veritatem, vt rationabilitas expellat errorem ignoran-

ANNO  
CHRISTI  
1137.

tia, confortetur per spei stabilitatem, vt irascibilitas excludat torporem negligentia: informetur per caritatis sinceritatem, vt concupiscibilitas extinguat ardorem concupiscentia. Dormiamus igitur, sed inter medios clericos, id est in medio clericorum, secundum idioma Græcorum. Ad literam nos inter medios clericos totius orbis existimus, propterea nequeunt opera nostra latere, siue bona sint, siue mala. *Luceat ergo lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est, vt cortina cortinam trahat, & qui audit dicat, Veni.* Aliter tamen hoc possumus intelligere: *καληρ* enim Græce fors vel hereditas interpretatur, vnde clerici dicuntur, quod in partem Domini sint sortiti, secundum illud: *Dominus pars hereditatis mee.* Est autem triplex hereditas, infima, media, & suprema. Infima est terrena, de qua legitur: *Dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel seruo suo:* media est sacra scriptura, de qua dicitur: *Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt:* suprema est beatitudo caelestis, de qua legitur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.* Quælibet hereditatum istarum suas habet medietates. Terrena possessio res mobiles, & immobiles, sacra scriptura spiritum & literam, beatitudo caelestis stolam mentis, & stolam carnis. Inter hos medios clericos, inter has medias hereditates, dormire debemus: aliter autem & aliter: est enim medium quod vtrumque extremorum contingit, & est medium quod neutrum extremorum contingit, & est medium quod alterum tantum extremorum contingit: verbi gratia, medium, quod vtrumque extremorum contingit, est aer, qui medius inter cælum & terram vtrumque contingit. Medium, quod neutrum extremorum contingit, est sol, qui medius inter cælum & terram neutrum contingit. Medium quod alterum extremorum tantum contingit, est arbor, quæ media inter cælum & terram alterum tantum contingit. Ad hunc modum inter hos medios clericos, inter has medias hereditates dormire debemus. Dormiamus igitur inter medios clericos possessionis terrenæ, per vim irascibilem, vt in neutra sui parte quiescamus, secundum illud quod legitur: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo*

*vt Math. 5.*

*Psal. 15.*

*Psal. 135.*

*Psal. 118.*

*Psal. 15.*

*1. Ioan. 2.*

*sunt.* Dormiamus inter medios cleros sacrae scripturae per vim rationalem, ut in altera tantum sui parte quiescamus, secundum quod legitur: *Litera occidit: spiritus autem vivificat.* Dormiamus inter medios cleros caelestis beatitudinis per vim concupiscibilem, ut in utraque parte quiescamus, secundum hoc quod legitur: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis.* Gaudete pro stola cordis, & exultate pro stola corporis. Si sic dormierimus, profecto nos sumus pennae columbae deargentatae. Sicut per columbam designatur ecclesia, sic per pennas columbae designantur sacerdotes ecclesiae, qui verbis & exemplis eam subleuant ad caelestia. Vnde sponsus de sponsa dicit in Canticis: *Vna est columba mea, perfecta mea.* Cuius pennas perfecte propheta describens, dicit: *Qui sunt hi qui ut nubes volant, & quasi columbae ad fenestras suas?* Pennae deargentatae sunt illi qui diuinis sunt eloquiis eruditi, secundum illud: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Hinc alibi dicitur: *Oculi tui sicut columbae, quae lacte sunt lotae, sedentes super fluentia plenissima.* Sunt autem pennae virtutis, pennae contemplationis, & pennae doctrinae. De primis legitur: *Volauit super pennas ventorum.* De secundis dicitur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam?* De tertiis autem scribitur: *Iunctae erant pennae unius ad alterum.* Porro, sunt pennae verae, sunt quidem & falsae. Verae sunt pennae iustorum, qui signantur per pennas erodii. Falsae sunt pennae hypocritarum, quae signantur per pennas struthionis. Legitur enim in Iob: *Penna struthionis similis est pennae erodii & accipitris.* Pennae simus despicientes mundana per vim irascibilem, dormientes inter medios cleros possessionis terrenae. Pennae columbae simus, appetentes caelestia per vim concupiscibilem, dormientes inter medios cleros beatitudinis sempiternae. Pennae deargentatae simus, intelligentes diuina per vim rationabilem, dormientes inter medios cleros sacrae scripturae. Nec tantum in praesenti simus pennae columbae deargentatae, sed posteriora dorsi eius in specie auri. Sicut dorsum laborem vitae praesentis significat, secundum illud, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores;* ita posteriora dorsi requiem futurae vitae designant, secundum illud:

2. Cor. 3.

Math. 5.

Cant. 6.

Isa. 62.

Psalm. 11.

Cant. 5.

Psalm. 17.

Psalm. 54.

Ezech. 1.

Iob. 39.

Psalm. 128.

lud:

lud: *Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec illus dolor: quoniam priora transferunt.* Ergo posteriora dorsi, id est requies post laborem, erit in specie auri, hoc est in gloria contemplationis, quæ per fulgorem auri congrue designatur, propter illud: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Ad quam gloriam nos perducatur Dominus Iesus Christus, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

DECRETA

GENERALIS CONCILII LATERANENSIS IV.  
sub Innocentio papa III. summo pontifice.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De fide catholica.  | tem in pascha communicando.   |
| II. De errore abbatis Ioachim.   | XXII. Quod infirmi prius provideant anima quam corpori.                     |
| III. De hereticis.   | XXIII. Quod ecclesia cathedralis vel regularis ultra tres menses non vacet. |
| IV. De superbia Græcorum contra Latinos.   | XXIV. De electione faciendâ per scrutinium vel compromissum.                |
| V. De dignitate patriarcharum.   | XXV. Quod electio facta per secularem potestatem non valeat.                |
| VI. De Conciliis provincialibus.   | XXVI. De pœna indigne confirmantis electionem.                              |
| VII. De correctione excessuum.   | XXVII. De instructione ordinandorum.  |
| VIII. De inquisitionibus.  | XXVIII. Quod compellantur cedere qui postulauerunt licentiam cedendi.       |
| IX. De diuersis ritibus in eadem fide.   | XXIX. Quod nullus habeat duo beneficia cum cura annexa.                     |
| X. De predicatoribus instituendis.   | XXX. De idoneitate instituendorum in ecclesiis.                             |
| XI. De magistris scholasticis.   | XXXI. De filiis canonicorum non instituendis cum patribus.                  |
| XII. De communibus capitulis monachorum.   | XXXII. Vt patroni competentem portionem dimittant clericis.                 |
| XIII. De nouis religionibus prohibitis.  | XXXIII. De procurationibus non accipiendis sine visitatione.                |
| XIV. De incontinentia clericorum puniendâ.                                       | XXXIV. De subditis non grauâdis sub prætextu seruitiû alicuius.             |
| XV. De arcenda ebrietate clericorû.  | XXXV. De causa appellationis exprimendâ.                                    |
| XVI. De indumentis clericorum.   |   |
| XVII. De comestationibus prelatorum, & negligentia eorum super diuinis officiis. |   |
| XVIII. De iudicio sanguinis & duelli clericis interdicto.                        |   |
| XIX. Ne ecclesia mundanis supellectilibus exponantur.                            |   |
| XX. De chrismate & eucharistia sub sera conseruandâ.                             |   |
| XXI. De confessione faciendâ, & non reuelandâ a sacerdote, & sal.                |   |

Concil. Tom. 28.

- XXXVI. *Quod iudex possit interlocutoriam & comminatoriam sententiam reuocare.*
- XXXVII. *De literis non impetrandis ultra duas diuitas, & sine speciali mandato.*
- XXXVIII. *De scribendis actis, ut probari possint.*
- XXXIX. *De restitutione danda contra possessorem, qua non rapuit ipse.*
- XL. *De vera possessione.*
- XLI. *De continuatione bona fidei in omni prescriptione.*
- XLII. *De saculari iustitia.*
- XLIII. *Ne sine causa clericus fidelitatem laico faciat.*
- XLIV. *Quod constitutiones principum non praiudicent ecclesiis.*
- XLV. *Patronus, qui clericum ecclesie occiderit vel mutilauerit, ius patronatus amittit.*
- XLVI. *De talliis a clericis non exigendis.*
- XLVII. *De forma excommunicandi.*
- XLVIII. *De modo recusandi iudicem.*
- XLIX. *De pena excommunicantis iniuste.*
- L. *De restricta prohibitione matrimonii.*
- LI. *De pena contrahentium clandestina matrimonia.*
- LII. *De testimonio de auditu reprobando in causa matrimonii.*
- LIII. *De his qui predia sua in fraudem decimarum dant aliis excolenda.*
- LIV. *Vt decima ante tributa soluantur.*
- LV. *Vt de terris acquirendis, non obstantibus priuilegiis, decima dentur.*
- LVI. *Ne propter pactum aliquorum amittat decimas presbyter parochialis.*
- LVII. *De interpretandis priuilegiorum verbis.*
- LVIII. *De eodem in fauorem episcoporum.*
- LIX. *Quod nullus religiosus fideiubeat sine licentia abbatis & conuentus.*
- LX. *Vt abbates non extendant se ad officium episcopale.*
- LXI. *Ne religiosi recipiant decimas de manu laicali.*
- LXII. *Ne reliquia sanctorum ostendantur extra capsam, ne noua habeantur in ueneratione sine Romana ecclesia.*
- LXIII. *De simonia.*
- LXIV. *De eadem circa monachos & sanctimonialia.*
- LXV. *De eadem circa illicitam pecunie extorsionem.*
- LXVI. *De eadem circa cupiditatem clericorum.*
- LXVII. *De usuris Iudeorum.*
- LXVIII. *Vt Iudaei discernantur a Christianis in habitu.*
- LXIX. *Ne Iudaei publicis officiis praeficiantur.*
- LXX. *Ne conuersi ad fidem de Iudeis, veterem ritum Iudeorum retineant.*

## CAPITVLA.

I.

**F**IRMITER credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus æternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, in-

ANNO  
CHRISTI  
1155.

comprehensibilis & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper & sine, Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens; consubstantiales & coæquales, coomnipotentes & coæterni, vnum vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam: diabolus enim & dæmones alii a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali: homo vero diaboli suggestionem peccauit.

Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta, per Moysen & sanctos prophetas aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit. Qui cum secundum diuinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundum

humanitatem factus est passibilis & mortalis: quin etiam pro salute humani generis in ligno Crucis passus & mortuus descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, & ascendit in cælum. Sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque; venturus in fine sæculi iudicare viuos & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis. Qui omnes cum suis propriis corporibus resurgent quæ nunc gestant, vt recipiant secundum merita sua, siue bona fuerint, siue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

ANNO  
CHRISTI  
1119.

Vna vero est fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum clauis ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis & eorum successoribus Iesus Christus.

Sacramentum vero baptismi, quod ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, consecratur in aqua, tam paruulis quam adultis in forma ecclesiæ a quocumque rite collatum proficit ad salutem.

Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam

ANNO  
CHRISTI  
1157.

semper potest reparari. Non solum autem virgines & continentes, verum etiam coniugati, per fidem rectam, & operationem bonam, placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

II.

Damnamus ergo, & reprobamus libellum, siue tractatū, quem abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de vnitae seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum & insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis, quoniam quædam summa res est Pater & Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens. Vnde asserit quod ille non tam trinitatem quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam, manifeste protestans quod nulla res est quæ sit Pater & Filius, & Spiritus sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamuis concedat quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna ecclesia, iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* &: *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum illo.* Item: *Qui plantat & qui rigat vnum sunt.* &: *Omnes vnum corpus sumus in Christo.* Rursus in libro Regum: *Populus meus & populus tuus vnum sunt.* Ad hanc autem sententiam adstruendam illud potissimum verbum inducit,

quod Christus de fidelibus inquit in euangelio:

Ioan. 17.

*Volo Pater vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus, vt sint consummati in vnum.*

Non enim, vt ait, fideles Christi sunt vnum, id est vna quædam res quæ communis sit omnibus, sed \* hic modo sunt vnum, id est vna ecclesia propter catholicae fidei vnitatem, & tandem vnum regnum propter vnionem indissolubilis caritatis. Quemadmodum in canonica Ioannis epistola legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Statimque subiungitur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & tres vnum sunt, sicut in codicibus quibusdam inueniuntur.*

1. Ioan. 5.

Quemadmodum in canonica Ioannis epistola legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Statimque subiungitur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & tres vnum sunt, sicut in codicibus quibusdam inueniuntur.*

Nos autem, sacro & vniuersali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro quod vna quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac \* singulatim quælibet earundem: & id eo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, siue natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen

ANNO  
CHRISTI  
1135.

aliud: sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino, vt secundum orthodoxam & catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi maius est omnibus*: ac dici non potest quod partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indiuisibilis sit, vtpote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desisset esse substantia. Patet ergo quod sine vlla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, & ita Pater & Filius habent eandem substantiam, & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab vtroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: *Volo*, inquit, *vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus*: hoc nomen, *vnum*, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio caritatis in gratia: pro personis vero diuinis, vt attendatur idemtitatis in natura vnitas, quemadmodum Veritas alibi ait: *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est*: ac si diceret manifestius: *Estote perfecti perfectione gratiæ sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ*, vtraque videlicet suo modo: quia inter Creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.

Ioan. 17.

Matth. 5.

Si quis igitur sententiam siue doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tamquã hæreticus ab omnibus \* confutetur. In nullo tamen per hoc Florensi monasterio, cuius ipse Ioachim extitit institutor, volumus derogari, quoniam ibi & regularis institutio est & obseruantia salutaris, maxime cum idem Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, apostolicæ sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra.

Reprobamus etiam & damnamus peruersissimum dogma impii \* Amalrici, cuius mentem sic pater mendacii excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica censenda sit quam insana.

## III.

Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam, orthodoxam, catholicam fidem, quam superius exposuimus; condemnantes vniuersos hæreticos, quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diuersas, sed caudas adinuicem colligatas, quia de \* vanitate conueniunt in idipsum.

Damnati vero sæcularibus potestatibus præsentibus, aut eorum bailliuis, relinquuntur animaduersione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis, ita quod bona huiusmodi dam-

ANNO  
 CHRISTI  
 1115.

natorum, si laici fuerint, confiscentur: si vero clerici applicentur ecclesiis a quibus stipendia perceperunt.

Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationes suspicionis qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur.

Moneantur autem & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur sæculares potestates, quibuscumque fungantur officiis, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod a-

\* siue perpetuam, siue temporalem, teneatur capitulum iuramento firmare.

Si vero dominus temporalis requisitus & monitus ab ecclesia terram suam purgare neglexerit, ab hac hæretica sceditate per metropolitanum & ceteros comprouinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo pontifici; vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine

vlla contradicitione possideant, & in fidei puritate conferuent, saluo iure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilo minus lege seruata circa eos qui non habent dominos principales.

Catholici vero, qui Crucis assumpto charactere ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque sancto priuilegio sint muniti, quod accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceditur.

Credentes vero, præterea receptores, defensores & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere, firmiter statuentes vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, eius instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. Et in similibus idem præcipimus obseruari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & be-

ANNO  
CHRISTI  
1115.

neficio deponatur, vt in quo maior est culpa grauior exerceatur vindicta.

Si qui autem tales, postquam ab ecclesia denotati fuerint, euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sane clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eos Christianæ præsumant sepulturæ tradere, nec eleemosynas, aut oblationes eorum accipiant: alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Similiter quilibet regulares, quibus hoc etiam infligatur, vt eorum priuilegia in illa diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumperint perpetrare.

Quia vero nonnulli sub specie pietatis, virtutem eius, iuxta quod ait Apostolus, abnegantes, auctoritatem sibi vendicant prædicandi, cum idem apostolus dicat: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Tit. 1. Rom. 1. omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab apostolica sede, vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumperint, excommunicationis vinculo innodentur: & nisi quanto citius resipuerint, alia competenti pœna plectantur.

Adiicimus insuper, vt quilibet archiepiscopus vel episcopus per se, aut per archidiaconum suum, vel idoneas personas honestas, bis aut saltem semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres vel plures boni testimonii viros, vel etiam, si expedire videbitur, totam viciniam iurare compellat, quod

si quis ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta Conuenticula celebrantes, seu a communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos episcopo studeat indicare. Ipse autem episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purificationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè puniantur. Si qui vero ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes iurare forte noluerint, ex hoc ipso tamquam hæretici reputentur.

Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda episcopi per dioceses suas diligenter iuuigilent, si canonicam effugere voluerint violationem. Si quis enim episcopus super expurgando de sua diocesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit vel remissus, cum id certis indicis apparuerit, & ab episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere prauitatem.

## IV.

Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis apostolicæ reuertentes fouere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia sedis apostolicæ se subtraxit, intantum

ANNO  
CHRISTI  
1135.

Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lauissent. Baptizatos etiam a Latinis & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc (sicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab ecclesia Dei scandalum amouere, sacro suadente Concilio, districtè præcipimus vt talia de cetero non præsumant, conformantes se tamquam obedientiæ filii sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri suæ, vt sit vnum ouile, & vnus pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponatur.

v.

Antiqua patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante, fancimus vt post Romanam ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites a Romano pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pal-

X iij

166 INNOCENTIVS P. III. CONCILIVM FRIDERICVS II. IMP. ANNO CHRISTI 1213.  
lium largiantur, recipientes pro se professionem  
canonicam, & pro Romana ecclesia sponfionem  
obedientia ab eisdem.

Dominicæ vero Crucis vexillum ante se faciant  
vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicum-  
que summus pontifex præfens extiterit, vel eius le-  
gatus vtens insigniis apostolicæ dignitatis.

In omnibus autem prouinciis eorum iurisdic-  
tioni subiectis, ad eos, cum necesse fuerit, prouo-  
cetur: saluis appellationibus ad sedem apostolicam  
interpositis, quibus est ab omnibus humiliter defe-  
rendum.

V I.

Sicut olim a sanctis patribus noscitur institutum,  
metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis  
prouincialia non omittant Concilia celebrare. In  
quibus de corrigendis excessibus, & moribus re-  
formandis, præsertim in clero, diligentem habeant  
cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, &  
maxime quæ statutæ sunt in hoc generali Conci-  
lio, relegendes, vt eas faciant obseruari, debitam pœ-  
nam transgressoribus infligendo. Vt autem id va-  
leat efficacius adimpleri, per singulas diœceses sta-  
tuant idoneas personas, prouidas videlicet & ho-  
nestas, quæ per totum annum simpliciter, & de  
plano, absque vlla iurisdictione solícite inuestigent  
quæ correctione vel reformatione sint digna, &  
ea fideliter perferant ad metropolitanum & suffra-  
ganeos, & alios in Concilio subsequenti, vt super  
his & aliis, prout vtilitati & honestati congruerit,  
prouida deliberatione procedant, & quæ statue-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

rint faciant obseruari, publicantes ea in episcopalibus Synodis annuatim per singulas dioeceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a suis beneficiis & executione officii suspendatur, donec per superioris arbitrium \* eius relaxetur.

\* for. eius  
suspensio

VII.

Irrefragabili constitutione sancimus, vt ecclesiarum praelati ad corrigendum subditorum excessum, maxime clericorum, & reformandum mores, prudenter & diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Vt autem correctionis & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus vt executionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi formam excefferint in talibus obseruandam.

Excessus tamen canonicorum ecclesie cathedralis, qui consueuerunt corrigi per capitulum, per ipsum in illis ecclesiis (quæ talem hæctenus consuetudinem habuerunt) ad commonitionem vel iussionem episcopi corrigantur infra terminum competentem ab episcopo præfigendum. Alioquin extunc episcopus Deum habens præ oculis, omni contradictione cessante, ipsos, prout animarum cura exegerit, per censuram ecclesiasticam corrigere non postponat. Sed & alios eorum excessus corrigere non omittat, prout animarum causa requirit, debito tamen ordine in omnibus obseruato. Ceterum si canonici absque manifesta & rationabili causa, maxime in contemptum episcopi cessauerint a diuinis, episcopus nihilo minus

si voluerit, celebret in ecclesia cathedrali, & metropolitanus ad querelam ipsius tamquam super hoc delegatus a nobis, taliter eos per censuram ecclesiasticam cognita veritate castiget, quod pœnæ metu talia de cetero non præsumant.

Prouideant itaque diligenter ecclesiarum prælati, vt hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ, vel grauamen aliud non conuertant, sed illud studiose ac fideliter exequantur, si canonicam voluerint effugere vltionem, quoniam super his apostolica sedes, auctore Domino, attentissime vigilabit.

## VIII.

Qualiter & \* quomodo debeat prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus noui & veteris testamenti colligitur euidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim aperte distinximus, & nunc sacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in euangelio, quod villicus ille qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audiuit ab illo: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Et in Genesi Dominus ait: *Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerunt.* Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris peruenierit, non quidem a maleuolis & maledicis, sed a prouidis & honestis: nec semel tantum sed sæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifestat

Luc. 16.

Genes. 18.

stat

ANNO  
CHRISTI  
1135.

stat) debet coram ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari: vt, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tamquam sit actor & iudex, sed quasi deferente fama, vel denuntiante clamore, officii sui debitum exequatur. Licet autem hoc sit obseruandum in subditis, diligentius tamen obseruandum est in prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam. Et quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Ideo sancti patres prouide statuerunt, vt accusatio prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi, ianua præcludatur. Verum ita voluerunt prouidere prælatis, ne criminarentur iniuste, vt tamen cauerent ne delinquerent insolenter, contra morbum vtrumque inuenientes congruam medicinam, videlicet, vt criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitis (id est degradationem) intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ita vt iam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo, ad inquirendum & puniendum eius excessus, non ex odii fomite, sed caritatis procedatur affectu, quatenus, si grauis fuerit excessus, etsi

non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino, quod est secundum eum angelicam sententiam, a villicatione villicum amoveri qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. Debet igitur esse praesens is contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentauerit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum. Et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid & a quo sit dictum appareat, publicanda: nec non exceptiones, & replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem, deponendi falsum audacia praebetur.

Ad corrigendos itaque subditorum excessus tanto diligentius debet praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas, contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denuntiationem & inquisitionem eorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leue compendium ad graue dispendium veniatur: sicut accusationem legitima praecedere debet inscriptio, sic & denuntiationem caritatiua admonitio, & inquisitionem clamosa insinuatio praeveneri, illo semper adhibito moderamine, ut iuxta formam iudicii sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae, cum causa requirit,

ANNO  
CHRISTI  
1157.

facilius & liberius a suis possunt administrationibus amoueri.

IX.

Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diocesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus, vt pontifices huiusmodi ciuitatum siue diocesum provideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum & linguarum diuina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne vna eadem ciuitas siue diocesis diuersos pontifices habeat, tamquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum. Sed, si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, pontifex loci catholicum præfulem nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subiectus. Vnde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se nouerit mucrone percussus. Et, si nec sic resipuerit, ab omni ecclesiastico ministerio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio sæculari ad tantam insolentiam compescendam.

X.

Inter cetera quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod* Matth. 4.  
*Concil. Tom. 28.* Y ij

*procedit de ore Dei.* Vnde cum sæpe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel inuauetudines corporales, aut hostiles incurfus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioceses & diffusas, generali constitutione sancimus, vt episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conuenualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac ceteris quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districte subiaceat ultioni.

## XI.

Concilium  
Lateranense  
sub Alexandro  
III. c. 18.

Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum, vt per vnamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ, aliosque scholares pauperes, gratis instrueret, aliquod com-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

petens beneficium præberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & via pateret discipulis ad doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesiis id minime obseruatur, nos prædictum roborantes statutum adiicimus, vt non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus a prælato cum capitulo, seu maiori ac saniori parte capituli, eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum, & aliarum, gratis in grammaticæ facultate ac aliis instruat iuxta posse. Sane metropolitana ecclesia theologum nihilo minus habeat, qui sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo vnus præbendæ prouentus, & pro theologo a metropolitano tantumdem, non propter hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu redditus ipsius percipiat, quamdiu persistit in docendo. Quod si forte de duobus magistris metropolitana ecclesia grauetur, theologo iuxta modum prædictum ipsa prouideat: grammatico vero in alia ecclesia suæ ciuitatis siue diocesis quod sufficere valeat faciat prouideri.

XII.

In singulis regnis siue prouinciis fiat de triennio in triennium, saluo iure diocesano pontificum, commune capitulum abbatum atque priorum abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale capitulum celebrare, ad quod vniuersi conueniant, præpeditionem canonicam

non habentes, apud vnum de monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus quam sex euectiones & octo personas adducat. Aduocent autem caritatiue in huius nouitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor præsent capitulo vniuerso, ita quod ex hoc nullus eorum auctoritatem prælationis assumat: vnde cum expedierit, prouida possint deliberatione mutari. Huiusmodi vero capitulum aliquod certis diebus continue iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis, & obseruantia regulari: & quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, ab omnibus inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione & contradictione ac appellatione remotis, prouiso nihilo minus, vbi sequenti termino debeat capitulum celebrari: & qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas, ita quod si non omnes potuerint in eisdem, saltem plures simul in diuersis domibus commorentur.

Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas abbatias eiusdem regni siue prouinciæ non solum monachorum, sed etiam monialium secundum formam

ANNO  
CHRISTI  
1213.

sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere, ita quod si rectorum loci cognouerint ab administratione penitus amouendum, denuntient episcopo proprio, vt illum amouere procuret: quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicæ sedis examen. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus & præcipimus obseruare. Si vero in hac nouitate quidquam difficultatis emerferit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad apostolicæ sedis iudicium absque scandalo referatur, ceteris irrefragabiliter obseruatis, quæ concordati fuerint deliberatione prouisa.

Porro diocesani episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cum ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inueniant quod commendatione, quam quod correctione sit dignum, attentissime præcauentes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraentur. Quia sic volumus superiorum iura seruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere.

Ad hoc districte præcipimus tam diocesanis episcopis, quam personis quæ præerunt capitulis celebrandis, vt per censuram ecclesiasticã, appellatione remota, compescant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores & consules, magnates & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumant offendere in personis ac rebus. Ac si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, vt liberius & quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

## XIII.

ANNO  
CHRISTI  
1137.

Ne nimis religionum diuersitas grauem in ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cetero nouam religionem inueniat: sed quicumque voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum fundare de nouo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.

Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis monasteriis locum monachi habere præsumat, nec vnus abbas pluribus monasteriis præsidere.

## XIV.

Vt clericorum mores & actus in melius reformatur, continenter & caste viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcauentes, maxime illo, propter quod ira Dei venit de cælo in filios diffidentia, quatenus in conspectu Dei omnipotentis, puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, statuimus, vt qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccauerint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius præcipimus obseruari, vt quos diuinus timor a malo non reuocat, tēporalis saltem pœna a peccato cohibeat.

Si quis igitur hac de causa suspensus diuina celebrare præsumperit, non solum ecclesiasticis beneficiis spoliatur, verum etiam pro hac duplici culpa perpetuo deponatur.

Præ-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

Prælati vero, qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius cōmodi temporalis, pari subiaceant ultioni.

Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, grauius puniantur, cum legitimo matrimonio possint uti.

XV.

A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, vnde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium & libidinis pro-uocet incentium. Vnde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit competenter a beneficio vel officio suspendatur.

Venationem & aucupationem vniuersis clericis interdici-mus: vnde nec canes, nec aues ad aucupandum habere præsumant.

XVI.

Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonestā. Mimis, ioculatoribus & histrionibus non intendant, & tabernas prorsus euitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in officiis diuinis

& aliis bonis exerceant studiis diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis aut sotularibus confuticiis seu rostratis, frenis, sellis, pectoralibus & calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi iusti causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in ecclesia superindumentis lineis omnes vtantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem: palliis diffibulatis non vtantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hincinde connexis.

## XVII.

Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui ecclesiarum praelati, circa comessationes superfluas & confabulationes illicitas, vt de aliis taceamus, fere medieta-tem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur, transcurrendo vndique continuata synco-  
pa matutinum. Sunt & alii qui Missarum celebrant solennia vix quater in anno, &, quod deterius est, interesse contemnunt: & si quando dum hæc celebrantur interfunt, chori silentium fugientes intendent \* exterius colloctionibus laicorum: dumque

ANNO  
 CHRISTI  
 1215.

auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina. Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhihemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & deuote.

XVIII.

Sententiam sanguinis nullus clericus dicet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut vbi exercetur interfit. Si quis autem huiusmodi occasione statuti ecclesiis, vel personis ecclesiasticis aliquod præsumpserit inferre dispendium, per censuram ecclesiasticam comescatur: nec quisquam clericus literas scribat aut dicet pro vindicta sanguinis destinandas: vnde in curiis principum hæc sollicitudo non clericis sed laicis committatur.

Nullus quoque clericus rottariis, aut balistariis, aut huiusmodi viris sanguinum præponatur, nec illam chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceant, quæ ad vltionem vel incisionem inducit. Nec quisquam purgationi aquæ feruentis vel frigidæ, seu ferri candentis, ritum cuiuslibet benedictionis aut consecrationis impendat: saluis nihilo minus prohibitionibus de monomachis siue duellis antea promulgatis.

XIX.

Relinqui nolumus incorrectum quod quidam clerici sic exponunt ecclesias supellectilibus propriis, & etiam alienis, vt potius domus laicæ quam

Dei basilicæ videantur, non considerantes, quod Dominus non sinebat, ut vas transferretur per templum.

Sunt & alii, qui non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrore. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne huiusmodi suppellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incurfus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque, ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta, munda & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis.

X X.

Statuimus, ut in cunctis ecclesiis chrisma & eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is ad quem spectat custodia ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat ultioni.

X X I.

Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno pro-

ANNO  
 CHRISTI  
 1213.

prio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantia cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipse non possit soluere, vel ligare.

Sacerdos autem discretus & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus fauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

Caueat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.

*Ioan. 5.* Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido quem sanauerat: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*: decreto præfenti statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & indicant quod medicos aduocent animarum, vt postquam infirmis fuerit de spiritali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suadetur vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde facilius mortis periculum incurrunt.

Si quis autem medicorum huius nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter.

Ceterum cum anima sit multo preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

## XXIII.

Ne pro defectu pastoris gregem dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus suis ecclesia viduata graue dispendium patiatur, volentes in

ANNO  
CHRISTI  
1215.

hoc etiam occurrere periculis animarum, & ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt ultra tres menses cathedralis vel regularis ecclesia praelato non vacet, infra quos, iusto impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo praeesse dignoscitur deuoluatur. Is vero ad quem deuoluta fuerit potestas, Dominum habens prae oculis, non differat ultra tres menses, cum capituli sui consilio & aliorum virorum prudentium, viduatam ecclesiam de persona idonea, ipsius quidem ecclesiae, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice ordinare, si canonicam voluerit effugere vltionem.

XXIV.

Quia propter electionum formas diuersas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto & singulati-  
\*legevota  
tim voces cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel maior vel sanior pars capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiae viduatae prouideant de pastore, aliter electio facta non valeat, nisi forte

communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem diuinam, absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur.

Illud penitus interdiciamus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat aduocari, iustoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si fuerit opus, fidem faciat iuramento, & tunc, si voluerit, vni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, vt quam cito electio fuerit celebrata, solenniter publicetur.

XXV.

Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumperit contra canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione possit ad aliquam eligi dignitatem. Qui vero electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumperint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate priuati.

XXVI.

Nihil est quod ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimen animarum assumptus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis pro-

ces-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

cessum, & personam electi, vt, cum omnia rite concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia, si secus fuerit incaute præsumptum, non solum deiciendus est indigne promotus, verum etiam indigne promouens puniendus.

Ipsum quoque decernimus hac animaduersione puniri, vt cum de ipsius constiterit negligentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbauerit, non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, verum etiam ne aliquo casu poenam effugiat, a perceptione proprii beneficii suspendatur, quousque, si æquum fuerit, indulgentiam valeat promereri: si conuictus fuerit in hoc per malitiam excessisse, grauiori subiaceat ultioni.

Episcopi quoque tales ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates promouere procurent, qui commissum sibi officium digne valeant adimplere, si & ipsi canonicam cupiunt effugere ultionem.

Ceterum qui ad Romanum pertinent immediate pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officii, eius se conspectui, si commode potest fieri, personaliter repræsentent, vel personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionis processu & electis possit haberi, vt sic demum per ipsius circumspectionem consilii sui plenitudinem assequantur officii, cum eis nihil obstitit de canonicis institutis, ita quod interim valde remoti, videlicet vltra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensatiue propter necessitates & vtilitates ecclesiarum in spiritualibus,

& temporalibus administrent: sic tamen vt de rebus ecclesiasticis nil penitus alienent. Munus vero consecrationis seu benedictionis recipiant, sicut haectenus recipere consueuerunt.

## XXVII.

Cum sit ars artium regimen animarum, districte praecipimus vt episcopi promouendos in sacerdotes diligenter instruant & informant, vel per se ipsos vel per alios viros idoneos, super diuinis officiis, & ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam si ignaros & rudes de cetero ordinare praesumpserint, (quod quidem facile poterit deprehendi) & ordinatores & ordinatos graui decreuimus subiacere ultioni. \* Satius est enim, maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos quam multos malos habere ministros: quia si caecus caecum duxerit, ambo in foueam dilabuntur.

## XXVIII.

Quidam licentiam cedendi cum instantia postulantes, ea obtenta, cedere praetermittunt. Sed cum in postulatione cessionis huiusmodi, aut ecclesiarum commoda, quibus praesunt, aut salutem videantur propriam attendisse, quorum neutrum suasionibus aliquorum quaerentium quae sunt sua, seu etiam leuitate qualibet volumus impediri, ad cedendum eos decernimus compellendos.

## XXIX.

Concilium  
Lateranense  
sub Alexandro III. c. 13.

De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, vt nullus diuersas dignitates ecclesiasticas & plures ecclesias parochiales reciperet

ANNO  
CHRISTI  
1197.

contra sacrorum Canonum instituta. Alioquin & recipiens sic receptum amitteret, & largiendi potestate conferens priuaretur. Quia vero propter præsumptiones & cupiditates quorundam nullus hactenus fructus aut rarus de prædicto statuto prouenit, nos euidentius & expressius occurrere cupientes, præsentis decreto statuimus, vt quicumque receperit aliquod beneficium habens curam animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit iure ipso priuatus, & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spoliatur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat cui merito uidebitur conferendum: & si ultra tres menses conferre distulerit, non solum ad alium secundum statutum Lateranensis Concilii eius collatio deuoluatur, verum etiam tantum de suis cogatur prouentibus in utilitatem ecclesiæ, cuius illud est beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personatibus decernimus obseruandum, addentes vt in eadem ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ maioribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulauerit, per sedem apostolicam poterit dispensari.

Sub Alex-  
dro III. c. 8.

XXX.

Graue nimis est & absurdum, quod quidam prælati ecclesiarum, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promouere, assumere non

Concil. Tom. 28.

Aa ij

verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitates sequentes affectum, non iudicium rationis. Vnde quanta ecclesiis damna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus vt prætermiſſis indignis assumant idoneos, qui Deo & ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim, ita quod qui post primam & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a conferendis beneficiis per ipsum Concilium suspendatur; instituta in eodem Concilio persona prouida & honesta, quæ suppleat suspensæ defectum in beneficiis conferendis: & hoc ipsum circa capitula quæ in his deliquerint obseruetur. Metropolitanæ vero delictum superioris iudicio relinquatur ex parte Concilii nuntiandum. Vt autem hæc salubris prouisio plenior consequatur effectum, huiusmodi suspensionis sententia, præter Romani pontificis auctoritatem, aut proprii patriarchæ, minime relaxetur, vt in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur.

## XXXI.

Ad abolendam pessimam, quæ in plerisque inoleuit ecclesiis, corruptelam, firmiter prohibemus, ne canonicorum filii, maxime spurii, canonici fiant in sæcularibus ecclesiis, in quibus instituti sunt patres: & si fuerit contra præsumptum, decernimus non valere: qui vero tales (vt dictum est) canonicare præsumserint, a suis beneficiis suspendantur.

Extirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inoleuit, quod scilicet patroni ecclesiarum parochialium, & aliæ quædam personæ, prouentus ipsarum sibi penitus vendicantes, presbyteris earundem seruitiis deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, vt ex ea congrue nequeant sustentari. Nam, vt pro certo didicimus, in quibusdam regionibus parochiales presbyteri pro sua sustentatione non obtinent nisi quartam quartæ, id est sextamdecimam decimarum. Vnde fit vt in his regionibus pene nullus inueniatur sacerdos parochialis, qui vel modicam habeat peritiam literarum. Cum igitur os bouis alligari non debeat triturantis, sed qui altari seruit viuere debeat de altari, statuimus vt, consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cuiuscumque alterius non obstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur. Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deseruiat, in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit, nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis ecclesia sit annexa: in quo casu concedimus, vt is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori ecclesia deseruire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere vicarium canonice institutum, qui, vt prædictum est, congruentem habeat de ipsius ecclesiæ prouentibus portionem: alioquin illa se sciat huius decreti auctoritate priuatum, libere alii conferenda, qui velit & possit quod prædictum est adimple-

re. Illud autem penitus interdiciamus, ne quis in fraudem de prouentibus ecclesiæ, quæ curam proprii sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.

## XXVIII.

Concilium  
Lateranen-  
se sub Ale-  
xandro ter-  
tio cap. 4.

Supra cap.  
12.

Procuraciones quæ visitationis ratione debentur episcopis, archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis legatis aut nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi quando præsentialiter officium visitationis impendunt: & tunc euectionum & personarum mediocritatem obseruent in Lateranensi Concilio definitam. Hoc adhibito moderamine circa legatos & nuntios apostolicæ sedis, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter illos nimium aggrauetur, procuraciones recipiant moderatas ab aliis ecclesiis vel personis, quæ nondum fuerunt de suis procuracionibus aggrauatæ, ita quod numerus procuracionum numerum dierum quibus huiusmodi moram fecerint non excedat, & cum aliqua non suffecerit per ipsam, duæ vel plures coniungantur in vnam.

Porro visitationis officium exercentes, non quarant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit. Qui autem contrauenire præsumperit, & quod acceperat reddat; & ecclesiæ, quam taliter aggrauauit, tantumdem rependat.

## XXXIV.

Quia prælati plerique, vt procuracionem aut seruitium aliquod impendant legato vel alii, plus extorquent a subditis quam soluant, & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potius quam subsidium in subiectis, id de cetero fieri prohibemus. Quod si quis forte præsumperit, & sic extorta restituat, & tantumdem cogatur pauperibus elargiri. Superior autem, cui super hoc fuerit querela deposita, si negligens fuerit in huiusmodi executione statuti, canonicæ subiaceat ultioni.

## XXXV.

Vt debitus honor deferatur iudicibus, & litigatoribus consulatur super laboribus & expensis, statuimus vt vbi quis coram idoneo iudice conuenierit aduersarium, ille ante sententiam ad superiorem iudicem absque rationabili causa non prouocet, sed coram illo suam iustitiam prosequatur, non obstante si dicat quod ad superiorem iudicem nuntium destinauerit, aut etiam literas impetrauerit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatæ. Cum autem ex rationabili causa putauerit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quæ si foret probata deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat: & si minus eum rationabiliter appellasse cognouerit, illum ad inferiorem remittat, & in expensis alteri parti condemnet. Alioquin ipse procedat, saluis constitutionibus de maioribus causis ad sedem apostolicam referendis.

## XXXVI.

Cum cessante causa cesset effectus, statuimus ut siue iudex ordinarius, siue delegatus, aliquid comminando vel interlocuendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium grauaretur, & sano vsus consilio ab huiusmodi comminationis vel interlocutionis effectu destiterit, libere in causæ cognitione procedat, non obstante, si a tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum, dummodo non sit ex alia legitima causa suspectus, ne processus negotii friuolis occasionibus retardetur.

## XXXVII.

Nonnulli gratia sedis apostolicæ abutentes literas eius ad remotos iudices impetrare nituntur, ut reus fatigatus laboribus & expensis liti cedere vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cum autem per iudicium iniuriis aditus patere non debeat, quas iuris obseruantia interdicat, statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam diocesim per literas apostolicas ad iudicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

Sunt & alii qui se ad nouum genus mercimoni conuertentes, ut vel sopitas possint suscitare querelas, aut nouas immittere quæstiones, fingunt causas, super quibus a sede apostolica literas impetrant absque dominorum mandato, quas vel reo, ne propter eas laborum vel expensarum dispendio molestetur, aut actori, ut per ipsas ad-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

uersarium indebita vexatione fatiget, venales exponunt. Cum autem lites restringendæ sint potius quam laxandæ, hac generali constitutione sancimus, vt si quis super aliqua quæstione de cetero sine mandato speciali domini literas apostolicas impetrare præsumperit, & literæ illæ non valeant, & ipse tamquam falsarius puniatur, nisi forte de illis personis extiterit, a quibus non debet exigi de iure mandatum.

XXXVIII.

Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directæ probatio, ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas præualeat æquitati, statuimus vt tam in ordinario iudicio quam extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuersa iudicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes, recusationes & exceptiones, petitiones & responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, & cetera quæ occurrunt competenti ordine conscribenda, designando loca, tempora & personas: & omnia sic conscripta partibus tribuantur, ita quod originalia penes scriptores remaneant: vt, si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hæc possit veritas declarari. Hoc adhibito moderamine, quatenus sic honestis

& discretis deferatur iudicibus, quod per impro-  
uidos & iniquos innocentum iustitia non lædatur.  
Iudex autem qui constitutionem istam neglexerit  
obseruare, si propter eius negligentiam aliquid dif-  
ficultatis emerferit, per superiorem iudicem anim-  
aduersione debita castigetur, nec pro ipsius præ-  
sumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis  
constiterit documentis.

## XXXIX.

Sæpe contingit quod spoliatus iniuste, per spo-  
liatorem in alium re translata, dum aduersus posses-  
sorem non subuenitur per restitutionis beneficium  
spoliato, commodo possessionis amisso propter dif-  
ficultatem probationis, ius proprietatis amittit ef-  
fectum. Vnde non obstante ciuilibus iuris rigore fan-  
cimus, vt si quis de cetero scienter rem talem acce-  
perit, cum spoliatori quasi succedat in vitium, eo  
quod non multum interfit, præsertim quoad peri-  
culum animæ, detinere iniuste ac inuadere alie-  
num, contra possessorem huiusmodi spoliato per  
restitutionis beneficium succurratur.

## XL.

Contingit interdum, quod cum actori ob con-  
tumaciam partis aduersæ adiudicatur causa rei ser-  
uandæ possessio, propter rei potentiam siue dolum  
actor infra annum rem custodiendam nancisci  
non potest, vel nactam amittit: & sic cum secun-  
dum assertionem multorum verus non efficeretur  
post lapsum anni possessor, reportat commodum  
de malitia sua reus. Ne igitur contumax melioris,  
quam obediens, conditionis existat, de canonica

æquitate sancimus, vt in casu præmissso actor verus constituatur elapso anno possessor.

Ad hæc generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet vt laicus in talibus arbitretur.

XLI.

Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam ciuilibus; cum sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest obseruari peccato. Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

XLII.

Sicut volumus vt iura clericorum non vsurpent laici, ita velle debemus ne clerici iura sibi vendicent laicorum. Quocirca vniuersis clericis interdiciamus, ne quis prætextu ecclesiasticæ libertatis suam de cetero iurisdictionem extendat in præiudicium iustitiæ sæcularis, sed contentus existat constitutionibus scriptis, & consuetudinibus hactenus approbatis: vt quæ sunt Cæsaris reddantur *Matth. 22.* Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur.

XLIII.

Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare conantur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale detinentes, ab eis ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt. Quia vero, secundum Apostolum, *seruus suo domino stat aut cadit,* sacri auctoritate *Rom. 14.*

Concilii prohibemus, ne tales clerici personis sæcularibus præstare cogantur huiusmodi iuramentum. XLIV.

Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, dolemus sic in quibusdam ex illis refrigerare caritatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti patres, sed etiam principes sæculares multis priuilegiis munierunt, non formidant suis constitutionibus vel potius confictionibus impugnare, non solum de feudorum alienatione, ac aliarum possessionum ecclesiasticarum, & vsurpatione iurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non & aliis quæ spirituali iuri videntur annexa, illicite præsumendo. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitate consulere, ac tantis grauaminibus providere, constitutiones huiusmodi & \* vindicationes feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum, sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasione constitutionis laicæ potestatis, (cum non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non vsurpatione iurisdictionum) sacri approbatione Concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram ecclesiasticam compescendis.

XLV.

In quibusdam prouinciis ecclesiarum patroni, seu vicedomini & aduocati, se in tantam insolentiã erexerunt, quod non solum, cum vacantibus de-

ANNO  
CHRISTI  
1195.

bet ecclesiis de pastoribus idoneis prouideri, difficultates ingerunt, & malitias, verum etiam de possessionibus & aliis bonis ecclesiasticis pro sua voluntate ordinare præsumunt, & (quod horrendum est dicere) in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri, prohibemus expresse ne patroni vel aduocati, seu vicedomini, super præmissis de cetero plus vsurpent quam reperiatur in iure permissum; & si contra præsumperint, districte per seueritatem canonicam compescantur. Sacri nihilo minus Concilii approbatione statuimus, quatenus si patroni, vel aduocati, aut feudatarii, seu vicedomini, seu alii beneficiati, alicuius ecclesiæ rectorem vel clericum alium ipsius ecclesiæ per se vel per alios occidere vel mutilare ausu nefando præsumperint, patroni ius patronatus, aduocati aduocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, beneficiati beneficium prorsus amittant. Et ne minus vindictæ quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nil perueniat ad heredes, sed etiam vsque ad quartam generationem posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in regularibus domibus alicuius prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

XLVI.

Aduersus consules ac rectores ciuitatum, & alios qui ecclesias & viros ecclesiasticos talliis seu

Bb iij

collectis & exactiōibus aliis aggrauare nituntur, volens immunitati ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi sub anathematis districtiōe prohibuit, transgressores, & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacerē, donec satisfactiōem impendant competentem.

Verum si quando forsan episcopus simul cum clericis tantam necessitatem vel vtilitatem prospexerint, vt absque vlla coactione, ad releuandas vtilitates vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias duxerint conferenda, prædicti laici humiliter & deuote recipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulant pontificem, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.

Quoniam vero nec sic quorundam malitia contra Dei ecclesiam conquieuit, adiicimus, vt constitutiones & sententiæ, quæ ab excommunicatis huiusmodi, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore valituræ.

Ceterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, vt infra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactiōem debitam compellendus: nam & ipsum qui satisfacere recusaerit, & successorem ipsius, si non satisfecerit infra mensem, manere decernimus ecclesiastica censura conclusum, donec satisfecerit competenter, cum

ANNO CHRISTI 1213. succedat in onere qui substituitur in honore.

XLVII.

Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Quod si contra præsumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum ecclesiæ per mensum vnũ sibi nouerit interdictum, alia nihilo minus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.

Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cuiusquam absque manifesta & rationabili causa procedat: ad quam si forte taliter processerit, & requisitus humiliter processum huiusmodi non curauerit absque grauamine reuocare, grauatus apud superiorem deponat de iniusta excommunicatione querelam: \* quod si absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, infra competentem terminum absoluendum: alioquin ipse per se, vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta, munus ei absolutionis impendat.

\*f. qui

Cumque aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad interesse; alias nihilo minus, si culpæ qualitas postulauerit, superioris arbitrio puniendus: cum non leuis sit culpa tantam infligere pœnam insonti, nisi forsan errauerit ex causa probabili, maxime si laudabilis opinionis existat.

Verum si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit a conquerente probatum, & idem super iniusta conquestionis molestia per pœnam ad interesse vel alias secundum superioris arbitrium condemnetur, nisi forsan & ipsum probabilis error excuset: & super eo, pro quo iusta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruandam.

Si vero iudex suum recognoscens errorem paratus sit talem reuocare sententiam, & is, pro quo lata fuerit, ne absque satisfactione reuocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo merito \* possit dubitari: & tunc, sufficienti cautione recepta quod coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipso, iuri parebit, excommunicatum absoluat, sicque pœnæ præscriptæ minime subiacebit: cauens omnino ne voluntate peruersa in alterius præiudicium mentiaturo errorem, si districtiōnis canonicæ vult effugere vltionem.

XLVIII.

Cum speciali sit prohibitione prouisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, promulgare præsumat, volentes etiam prouidere, ne forte commonitus, frustratoriæ recusationis vel appellationis obtentu, monentis declinare possit examen, statuimus, quod si allegauerit se iudicem habere suspectum, coram eodem causam iustæ suspicionis

affi-

ANNO  
CHRISTI  
1115.

assignet. Et ipse cum aduersario, vel, si forte aduersarium non habeat, cum iudice arbitros communiter eligat: aut, si forte communiter conuenire non possunt, eligant absque malitia ipse vnum, & ille alium, qui de suspicionis causa cognoscant: & si nequiverint in vnam concordare sententiam, aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exequendum, ex iniuncto a nobis in virtute obedientiæ sub attestatione diuini iudicii districto præcepto, teneri. Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua iurisdictione iudex vtatur. At ipsa probata legitime, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittat, vt in eo ipse procedat secundum quod fuerit procedendum.

Porro commonito ad appellationem conuolante, si eius excessus euidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitime fuerit manifestatus, cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentia institutum, non est prouocationi huiusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne friuolæ appellationis diffugio appellans iudicis processum impediatur, coram eodem probabilem causam appellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari: & tunc, si habuerit aduersarium, infra terminum, secundum locorum distantiam & temporis qualitatem & naturam negotii ab eodem iudice moderandum, appellationis causam

prosequatur : quam si prosequi non curauerit , ex-  
tunc ipse iudex , non obstante appellatione , proce-  
dat. Nullo autem aduersario comparente , cum ex  
suo iudex procedat officio , appellationis causa co-  
ram superiore probata , superior suæ iurisdictionis  
officium exequat. Sed si appellans in eius proba-  
tione defecerit , ad eum , a quo ipsum malitiose ap-  
pellasse constiterit , remittatur.

Ceterum has duas constitutiones præmissas no-  
lumus ad regulares extendi , qui suas habent obser-  
uantias speciales.

## X L I X.

Sub interminatione diuini iudicii penitus inter-  
dicimus , vt causa cupiditatis nullus audeat excom-  
municationis vinculo aliquem innodare , vel absol-  
uere innodatum , in illis maxime regionibus , in qui-  
bus ex consuetudine , cum excommunicatus absol-  
uitur , pecuniaria pœna mulctatur : statuentes vt  
cum excommunicationis sententiam iniustam fuisse  
constiterit , excommunicator ad restituendam  
pecuniam sic extortam per censuram ecclesiasti-  
cam compellatur : & , nisi probabili fuerit errore  
deceptus , tantumdem iniuriam passo persoluat : &  
si forte soluendo non fuerit , animaduersione alia  
castigetur.

## L.

Non debet reprehensibile iudicari , si secundum  
varietatem temporum statuta quandoque varientur  
humana , præsertim cum vrgens necessitas vel  
euidens vtilitas id exposcit : quoniam ipse Deus ex  
iis , quæ in veteri testamento statuerat , nonnulla  
mutauit in nouo.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

Cum igitur prohibitiones de coniugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, vt cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii reuocantes, presentis constitutione decernimus, vt sic contrahentes de cetero libere copulentur.

Prohibitio quoque copulæ coniugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in vltioribus gradibus iam non potest absque graui dispendio huiusmodi prohibitio generaliter obseruari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni coniugii corporalis, de quo dicit Apostolus, quod vir non ha- 1. Cor. 7. bet potestatem sui corporis, sed mulier: neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis.

Cum ergo iam vsque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ sit restricta, eam ita esse volumus perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis vel a nobis, vt si qui contra prohibitionem huiusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum, cum diurnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat: tantoque grauiora sint crimina, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.

Concil. Tom. 28.

Cc ij

Cum inhibitiō copulæ coniugalis sit in tribus vltimis gradibus reuocata, eam in aliis volumus districte obseruari. Vnde prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis clandestina coniugia penitus inhibemus: prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus vt, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, vt infra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat. Et ipsi presbyteri nihilo minus inuestigent, vtrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.

Si qui vero huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire præsumperint in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ vel saltem affectatores ignorantia videantur. Pari modo illegitima proles censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum in conspectu ecclesiæ contrahere præsumperint.

Sane si parochialis sacerdos tales coniunctio-

ANNO  
 CHRISTI  
 1215.

nes prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. Sed & iis, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concessio, condigna pœnitentia iniungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitiose impedimentum obiecerit, ecclesiasticam non effugiet ultionem.

L II.

Licet ex quadam necessitate præter communem formam alias fuerit institutum, vt in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret testimonium de auditu, cum propter breuem hominum vitam testes de visu deponere non valent vsque ad gradum septimum computando, quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus ex hoc multa pericula contra legitima coniugia prouenisse, statuimus ne super hoc recipiantur testes de cetero de auditu, cum iam quartum gradum prohibitio non excedat, nisi personæ graues extiterint, quibus fides merito sit adhibenda, & ante motam litem testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis, non utique vno, cum non sufficeret ille, si viueret, sed duobus ad minus: nec ab infamibus & suspectis, sed a fide dignis, & omni exceptione maioribus, cum satis videretur absurdum illos admitti quorum repellerentur auctores: nec tamen si vnus a pluribus, vel infamis ab hominibus bonæ famæ acceperint quod testentur, tamquam plures & idonei testes debent ad-

mitti, cum etiam secundum solitum ordinem iudiciorum non sufficiat vnus testis assertio, etiam si præsidali dignitate præfulgeat, & actus legitimi sint infamibus interdicti.

Testes autem huiusmodi proprio iuramento firmantes, quod ad ferendum in causa ipsa testimonium odio, vel timore, vel amore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, siue circumlocutione sufficienti, designent, & ab vtroque latere clara computatione gradus singulos distinguant, & in suo nihilo minus iuramento concludant, se accepisse a suis maioribus quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi iurati deponant se vidisse personas saltem in vno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum copulatos dimittere, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.

## LIII.

In aliquibus regionibus quædam permixtæ sunt gentes, quæ secundum suos ritus decimas de more non soluunt, quamuis censeantur nomine Christiano. His nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, vt decimis defraudantes ecclesias, maiores inde redditus assequantur. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus vt ipsi domini talibus personis & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione decimas ecclesiis cum integritate persoluant, & ad id, si necesse fuerit, per

cenfuram ecclesiasticam compellantur. Illæ quip-  
pe decimæ necessario sunt soluendæ, quæ debentur  
ex lege diuina, vel loci consuetudine appro-  
bata.

LIV.

Cum non sit in homine quod semen seren-  
ti respondeat, quoniam, iuxta verbum Apostoli,  
*Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed* 1. Cor. 3.  
*qui incrementum dat Deus*, ipso quidem de mor-  
tificato semine plurimum fructum afferente, ni-  
mis auare in decimis quidam defraudare nitun-  
tur, census & tributa, quæ interdum indecimata  
prætereuntur, de frugibus & primitiis educentes.  
Cum autem in signum vniuersalis dominii, quasi  
quodam titulo speciali sibi Dominus decimas re-  
seruauerit; nos & ecclesiarum dispendiis & ani-  
marum periculis obuiare volentes, statuimus, vt in  
prærogatiua dominii generalis exactionem tribu-  
torum & censuum præcedat solutio decimarum:  
vel saltem hi, ad quos census & tributa indecima-  
ta peruenerint, quoniam res cum onere suo transit,  
ea per censuram ecclesiasticam decimare cogan-  
tur ecclesiis quibus iure debentur.

LV.

Nuper abbates Cisterciensis ordinis, in gene-  
rali capitulo congregati, ad commonitionem no-  
stram prouide statuerunt, ne de cetero fratres ipsius  
ordinis emant possessiones, de quibus decimæ de-  
bentur ecclesiis, nisi forte pro monasteriis nouiter  
fundandis. Et si tales possessiones eis fuerint pia  
fidelium deuotione collatæ, aut emptæ pro mona-

steriis de nouo fundandis, committant excolendas aliis, a quibus ecclesiis decimæ persoluantur, ne occasione priuilegiorum suorum ecclesiæ ulterius prægrauentur. Decernimus ergo, vt de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus deinceps excoluerint, decimas persoluant ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur, nisi cum ipsis ecclesiis aliter duxerint componendum. Nos ergo statutum huiusmodi gratum & ratum habentes, hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus priuilegiis, extendi volumus, & mandamus vt ecclesiarum prælati proniores & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitiæ complementum, eorumque priuilegia diligentius & perfectius studeant obseruare.

## LVI.

Plerique, sicut accepimus, regulares & clerici sæculares, interdum cum vel domos locant, vel feuda concedunt, in præiudicium parochialium ecclesiarum pactum adiiciunt, vt conductores & feudatarii decimas eis soluant, & apud eosdem eligant sepulturam. Cum autem id de auaritiæ radice procedat, pactum huiusmodi penitus reprobamus, statuentes vt quidquid fuerit occasione huiusmodi pacti perceptum, ecclesiæ parochiali reddatur.

## LVII.

Vt priuilegia quæ quibusdam religiosis personis Romana concessit ecclesia permaneant inconuulsa, quædam in eis declaranda duximus, ne mi-

nus

ANNO  
CHRISTI  
1215.

nus sane intellecta pertrahant ad abusum, propter quem merito possint reuocari: quia priuilegium meretur amittere, qui permessa sibi abutitur potestate.

Sane quibusdam regularibus sedes apostolica indulgit, vt iis, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forsan ecclesiæ, ad quas pertinent, a diuinis fuerint officiis interdictæ, ipsosque mori contingat, sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti, suosque confratres, quos ecclesiarum prælati apud ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad ecclesias suas deferant tumulandos. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in sæculo, eorum ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel qui eis inter viuos sua bona dederunt, retento sibi quamdiu in sæculo vixerint usufructu: qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium vel aliorum non interdictas ecclesias, in quibus elegerint sepulturam: ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus aut tribus denariis annuatim sibi collatis dissoluatur pariter & vilescat ecclesiastica disciplina. Certam tamen & ipsi remissionem obtineant ab apostolica sibi sede concessam.

Illud etiam pro huiusmodi regularibus est indultum, si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates siue collectas in quamlibet ciuitatem, castellum vel vicum aduenerint, si forte locus ille a diuinis sit officiis interdi-

ctus in eorum iucundo aduentu semel in anno aperiantur ecclesiæ, vt exclusis excommunicatis diuina ibi officia celebrentur. Sic intelligi volumus, quod in eadem ciuitate, aut castro, vel villa, vna tantum ecclesia eiusdem ordinis fratribus, vt dictum est, semel aperiat in anno: quia licet pluraliter dictum sit quod in eorum iucundo aduentu aperiantur ecclesiæ, non tamen ad ecclesias eiusdem loci diuisim, sed prædictorum locorum coniunctim, sano referendum est intellectu, ne si hoc modo singulas eiusdem loci ecclesias visitarent, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui vero contra declarationes præscriptas quidquam sibi præsumperint vsurpare, graui subiacent ultioni.

## LVIII.

Quod nonnullis est religiosis indultum, in fauorem pontificalis officii ad episcopos extendentes, concedimus vt, cum commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque ianuis clausis, suppressa voce, non pulsatis campanis, celebrare officia diuina, nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam doli vel fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes.

## LIX.

Quod quibusdam religiosis a sede apostolica est prohibitum, volumus & mandamus ad vniuersos extendi, ne quis videlicet religiosus absque abba-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

tis & maioris partis sui capituli licentia, pro aliquo fideiubeat, vel ab alio pecuniam mutuo accipiat vltra summam communi prouidentia constitutam. Alioqui non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in vtilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse: & qui contra statutum istud venire præsumperit, grauiori disciplinæ subdatur.

L X.

Accedentibus ad nos de diuersis mundi partibus episcoporum querelis, intelleximus graues & grandes quorundam abbatum excessus, qui suis finibus non contenti manus ad ea quæ sunt episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum literas, & similia præsumendo, vnde contingit interdum quod vilescat episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in iis & episcoporum dignitati & abbatum prouidere saluti, præsentis decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super huiusmodi valeat se tueri.

L X I.

In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares ecclesias, seu decimas, sine consensu episcoporum de manu præsumant recipere laicali, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad diuina.

Sub Alexã-  
dro tertio  
cap.9.

Concil. Tom. 28.

D d ij

Nos autem id fortius inhibentes transgressores condigna curabimus animaduersione puniri, statuentes nihilo minus quatenus in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, iuxta eiusdem statuta Concilii, episcopis instituendos presbyteros repræsentent, vt illis de plebis cura respondeant; ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos vero remouere non audeant episcopis inconsultis. Sane adiicimus vt illos repræsentare procurent, quos vel conuersatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium prælatorum.

## LXII.

Cum ex eo quod quidam sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni sit detractum sæpius, ne detrahatur in posterum, præsentis decreto statuimus, vt antiquæ reliquæ amodo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero de cetero non permittant illos, qui ad eorum ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. Eleemosynarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi apostolicas vel diocesani episcopi literas veras exhibeant, prohibemus. Et tunc, præter id quod in ipsis continebitur literis, nihil populo propone-

ANNO  
CHRISTI  
1235.

re permittantur. Formam vero, quam communi-  
ter talibus apostolica sedes indulget, duximus ex-  
primendam, vt secundum eam diocesani episcopi  
suas literas moderentur. Ea siquidem talis est:

*Forma literarum prædicatorum.*

Quoniam (vt ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, siue bonum, siue malum fuerit, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cælis: firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet in vitam æternam. Cum igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium hospitale propriæ non suppetant facultates, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus de bonis a Deo vobis collatis pias eleemosynas & grata eis caritatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc & per alia bona, quæ & Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia peruenire.

Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur modesti sint & discreti, nec in tabernis aut locis aliis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant aut sumptuosas expensas, cauentes omnino, ne falsæ religionis habitum gestent.

Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum prælati facere non verentur, & clauēs ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur, decernimus vt, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue a pluribus episcopis dedicetur: ac deinde in anniuersario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; cum Romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare.

## LXIII.

Sicut pro certo didicimus, in plerisque locis, & a plurimis personis quasi columbas in templo vendentibus, fiunt exactiones turpes & prauæ pro consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum, & ordinibus clericorum, estque taxatum quantum sit isti vel illi, quantumve alteri vel alii persolendum: & ad cumulum damnationis maioris, quidam turpitudinem & prauitatem huiusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore obseruatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem huiusmodi (quæ magis dicenda est corruptela) penitus reprobamus; firmiter statuentes, vt pro iis siue conferendis, siue collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere ac extorquere præsumat. Alioquin & qui receperit & qui dederit huiusmodi precium om-

ANNO CHRISTI 1215.  
nino damnatum cum Giezi & Simone condem-  
netur.

LXIV.

Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, vt vix aliquas sine precio recipiant in forores, paupertatis prætextu volentes huiusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat penitus prohibemus; statuentes vt quæcumque de cetero talem prauitatem commiserit, tam recipiens quam recepta, siue sit subdita, siue prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, vt remotæ de monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis eiusdem ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem alibi forte nequiverint commode collocari, ne forte damnabiliter in sæculo euagentur, recipiantur in eodem monasterio dispensatiue de nouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.

Hoc etiam circa monachos & alios regulares decernimus obseruandum. Verum ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus vt diocæsani episcopi singulis annis hoc faciant per suas dioceses publicari.

LXV.

Audiuimus de quibusdam episcopis, quod, decedentibus ecclesiarum rectoribus, ipsas interdicto subiiciunt, nec patiuntur aliquos in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persoluatur: præ-

terea cum miles aut clericus domum religionis ingreditur, vel apud religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cum igitur non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali sit (secundum Apostolum) abstinentum exactiones huiusmodi penitus inhibemus: quod si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat, in utilitates locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter conuertenda.

1. Theff. 3.

## LXVI.

Ad apostolicam audientiam frequenti relatione peruenit, quod quidam clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent: & si forte cupiditati eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia deuotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis, quapropter & prauas exactiones super his fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari, statuentes vt libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci, veritate cognita, compescantur qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

## LXVII.

Quanto amplius Christiana religio ab exactione compescitur vsurarum, tanto grauius super his

lu-

ANNO  
CHRISTI  
1215.

Iudæorum perfidia inolefcit, ita quod breui tempore Christianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne a Iudæis immaniter aggraentur, fynodali decreto ftatuimus, vt fi de cetero quocumque prætextu Iudæi a Christianis graues & immoderatas vfuras extorferint, Christianorum eis participium fubtrahatur, donec de immoderato grauamine fatisfecerint competenter. Christiani quoque, fi opus fuerit, per cenfuram ecclefiafticam, appellatione poftpofita, compellantur ab eorum commerciis abftinere.

Principibus autem iniungimus, vt propter hoc non fint Christianis infefi, fed potius a tanto grauamine Iudæos ftudeant cohibere.

Ac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad fatisfaciendum ecclefiis pro decimis & oblationibus debitis, quas a Christianis de domibus & poffeffionibus aliis percipere confueuerant, antequam ad Iudæos quocumque titulo deueniffent, vt fic ecclefiæ conferuentur indemnes.

LXVIII.

In nonnullis prouinciis a Christianis Iudæos feu Saracenos habitus diftinguit diuerfitas: fed in quibusdam fic quædam inoleuit confufio, vt nulla differentia difcernantur. Vnde contingit interdum, quod per errorem Christiani Iudæorum feu Saracenorum, & Iudæi feu Saraceni Christianorum mulieribus commifcentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis exceffus, per velamentum erroris huiusmodi, excufationis vltcrius poffint ha-

*Concil. Tom. 28.*

E c

bere diffugium, statuimus vt tales vtriusque sexus, in omni Christianorum prouincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, cum etiam per Mosen hoc ipsum legatur eis iniunctum.

*Leuit. 19.*

*Deut. 22.*

In diebus autem lamentationis, & dominicæ passionis, in publicum minime prodeant, eo quod nonnulli ex ipsis talibus diebus (sicut accepimus) ornatius non erubescunt incedere, ac Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes lamentationis signa prætendunt, illudere non formidant.

Illud autem distriētissime inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris profili re aliquatenus præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra deleuit, præcipimus præsumptores huiusmodi per principes sæculares condignæ animaduersionis adiectione compesci, ne crucifixum pro nobis præsumant aliquatenus blasphemare.

## LXIX.

Cum sit nimis absurdum, vt Christi blasphemus in Christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Toletanum Concilium prouide statuit, nos propter transgressorum audaciam\* in hoc capitulo innouamus, prohibentes ne Iudæi officiis publicis præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Si quis autem officium eis tale commiserit, per prouinciale Concilium (quod singulis præcipimus annis celebrari) monitione præmissa, distriētione qua conuenit

ANNO  
CHRISTI  
1215.

compescatur. Officiali vero huiusmodi, tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegatur, donec in vsus pauperum Christianorum, secundum prouidentiam diocesani episcopi, conuertatur quidquid fuerit adeptus a Christianis occasione officii sic suscepti: & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.

L X X.

Quidam, sicut accepimus, qui ad sacri vndam baptismatis voluntarii accesserunt, veterem hominem omnino non exuunt, vt nouum perfectius induant, cum prioris ritus reliquias retinentes, Christianæ religionis decorem tali commixtione confundant. Cum autem scriptum sit: *Maledictus homo qui terram duabus viis ingreditur, & indui vestis* non debeat lino lanaque contexta; statuimus vt tales per prælatos ecclesiarum ab obseruantia veteris ritus omnimodo compescantur, vt quos Christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in eius obseruatione conseruet, cum minus malum existat viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.

*Ecclef. 3.*

*Deut. 22.*

EXPEDITIO

PRO RECUPERANDA TERRA SANCTA.

**A**d liberandam terram sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plene nouerant circumstantias temporum & locorum, sacro approbante Concilio, diffinimus, vt ita Cruce signati se præparent, quod in Kalendas Iunii

*Concil. Tom. 28.*

E c ij

sequentis post proximum, omnes qui disposuerunt transire per mare, conueniant in regnum Siciliae: alii, sicut oportuerit & decuerit, apud Brundisium, & alii apud Messanam, & partes utrobique vicinas, ubi & nos personaliter, Domino annuente, disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione diuina & apostolica profecturus. Ad eundem quoque terminum se studeant praeparare qui proposuerunt per terram proficisci: significaturi hoc interim nobis, ut eis ad consilium & auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus. Sacerdotes autem, & alii clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam praelati, orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem semper habeant diuinum ante oculos, ne quid dicant aut faciant quod diuinam maiestatem offendat. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram poenitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in vestitu mediocritatem seruantes, dissensiones & aemulationes omnino vitando, rancore ac liuore a se penitus relegatis, ut sic spiritualibus & materialibus armis muniti aduersus hostes fidei securius praeriantur, non de sua praesumentes potentia, sed de diuina virtute sperantes.

Ipsis autem clericis indulgemus, ut beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in ecclesiis residentes; & si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.

Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, vniuersis ecclesiarum praelatis districte praecipimus, ut singuli per loca sua illos qui signum Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos, quam alios Crucis signatos, & quos adhuc signare contigerit, ad reddendum vota sua Domino diligenter moneant & inducant, & si necesse fuerit, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras eorum, omni tergiversatione cessante, compellant, illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod, secundum sedis apostolicae prouidentiam, votum eorum commutari debeat merito vel differri.

ANNO  
CHRISTI  
1135.

Ad hæc, ne quid in negotio Iesu Christi de contingenti-  
bus omittatur, volumus & mandamus vt patriarchæ,  
archiepiscopi, episcopi, abbates, & alii qui curam obti-  
nent animarum, studiose proponant sibi commissis ver-  
bum Crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiri-  
tum sanctum, vnum solum verum æternum Deum, re-  
ges, duces, principes, marchiones, comites, & barones,  
aliosque magnates, nec non communionem ciuitatum,  
villarum, opidorum, vt qui personaliter non accesserint  
in subsidium terræ sanctæ, competentem conferant  
numerum bellatorum, cum expensis ad triennium neces-  
sariis, secundum proprias facultates, in remissionem pec-  
catorum suorum, prout in generalibus literis est expref-  
sum, & ad maiorem cautelam etiam inferius exprimemus.

Huius remissionis volumus esse participes, non solum  
eos qui naues proprias exhibent, sed etiam illos qui pro-  
pter hoc opus naues studuerint fabricare. Renuentibus  
autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo no-  
stro, ex parte apostolica firmiter protestentur, vt sciant  
se super hoc nobis in nouissimo districti examinis Dei co-  
ram tremendo iudice responsuros, prius tamen conside-  
rantes, qua conscientia quave securitate confiteri pote-  
runt coram vnigenito Dei Filio Iesu Christo, cui omnia  
Pater dedit in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo  
seruire tenuerint in hoc negotio quasi proprie sibi pro-  
prio, cuius munere viuunt, cuius beneficio sustentantur,  
quinetiam eius sanguine sunt redempti.

Ne vero in humeros hominum onera graua & impor-  
tabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere  
nolimus, similes illis qui dicunt vtique, sed non faciunt,  
ecce nos de his, quæ vltra necessaria & moderatas expen-  
sas potuimus reseruare, triginta millia librarum in hoc o-  
pus concedimus & donamus, præter nauigium, quod Cru-  
ce signatis de Vrbe, atque vicinis partibus conferimus. af-  
signaturi nihilo minus ad hoc ipsum tria millia marcarum  
argenti, quæ apud nos de quorundam fidelium eleemo-  
synis remanserunt, aliis in necessitates & vtilitates prædi-  
ctæ terræ, per manus felicis memoria\* abbatis Hieroso-  
lymitani patriarchæ, ac magistrorum templi & hospitalis  
fideliter distributis.

\* Alberti

Cupientes autem alios ecclesiarum praelatos, nec non clericos vniuersos, & in merito & in premio habere participes & consortes, ex communi Concilii approbatione statuimus, vt omnes omnino clerici, tam subditi quam praelati, vigesimam partem ecclesiasticorum prouentuum vsque ad triennium conferant in subsidium terrae sanctae per manus eorum qui ad hoc apostolica fuerint prouidentia ordinati: quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac praeraxatione merito eximendis, illis similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi.

Nos autem & fratres nostri sanctae Romanae ecclesiae cardinales plenarie decimam persoluemus, sciantque se omnes ad hoc fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia iusto iudicio caelestis imperatoris obsequiis inhaerentes speciali decet praerogatiua gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, Cruce signati, vel a collectis, vel talliis, aliisque grauaminibus sint immunes, quorum personas & bona post Crucem assumptam sub beati Petri & nostra protectione suscepimus: statuentes vt sub archiepiscoporum, episcoporum, ac omnium praelatorum ecclesiae defensione consistant, propriis nihilo minus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra praesumpserit, per censuram ecclesiasticam compefcatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad praestandas vsuras iuramento tenentur adstricti, creditores eorum, vt remittant eis praestitum iuramentum, & ab vsurarum exactio-  
ne desistant, eadem praecipimus distinctione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus.

Iudaeos vero ad remittendas vsuras per saecularem compelli praecipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus per excommunicationis

ANNO  
CHRISTI  
1215.

sententiam eis omnino communio denegetur. His autem, qui Iudæis debita soluere nequeunt in præfenti, sic principes sæculares vtili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, vsquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis, computare: cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda iustitia Cruce signatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos.

Ceterum quia cursarii & piratæ nimium impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendæ & expoliandæ transeunt ad illam, & redeunt ab ipsa, nos speciales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innotamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis vel emptionis contractu, & iniungentes rectoribus ciuitatum & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compefcant; alioquin, quia nolle perturbare peruersos nihil aliud est quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos seueritatem ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum Saracenis arma, ferrum & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt vel naues, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium vel auxilium in dispendium terræ sanctæ, ipsarum rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos fore censemus. Præcipientes vt per omnes vrbes maritimas diebus dominicis & festiuis huiusmodi sententia innouetur, & talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum, quod ex substantia tam damnata perceperint, & tantumdem de sua in subsidium prædictæ terræ transmise-

rint, vt a quo iudicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte soluendo non fuerint, alias sic reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicitur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdiciamus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, vsque ad quadriennium transmittant aut transeant naues suas, vt per hoc volentibus transfretare in subsidium terræ sanctæ maior nauigii copia præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxilium, quod eis consuevit ex hoc non modicum prouenire.

Licet autem torneamenta sint in diuersis Conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium per ea plurimum impeditur, nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus vsque ad triennium exerceri.

Quia vero ad hoc negotium exequendum est permixtissime necessarium vt principes populi Christiani adinuicem pacem obseruent, sancta vniuersali Synodo suadente statuimus, vt saltem per quadriennium in toto orbe Christiano seruetur pax generaliter, ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treguam inuiolabiliter obseruandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas & interdictum in terras arctissime compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderit, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesiæ circa eos, tamquam perturbatores negotii Crucifixi, sæcularis potentia inducatur.

Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indigne, Deus ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus qui laborem propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum: eis autem qui non

in

ANNO  
CHRISTI  
1215.

in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidii, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt, aut consilium & auxilium impenderit opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere in communi vniuersalis Synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, vt eis digne proficiat ad salutem. Amen.

I N

<sup>a</sup> CONCILIVM LATERANENSE <sup>b</sup> IV.

<sup>c</sup> OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE XII. approbatum, <sup>d</sup> quadringentorum episcoporum, & octingentorum aliorum patrum, abbatum, decanorum & priorum conuentualium <sup>e</sup> contra Albigensium & <sup>f</sup> Almarici hæreses, & <sup>g</sup> abbatis Ioachim errores, pro ecclesia in fide & moribus reformanda, <sup>h</sup> proque terra sancta a Turcis recuperanda celebratum <sup>i</sup> anno Domini MCCXV. tempore Innocentii papæ III. & Friderici imperatoris, vel potius adhuc regis Germaniæ II.

N O T Æ.

<sup>a</sup> Concilium.] Qua auctoritate, quo tempore, quaque de causa hæc sacrosancta Synodus indicta, quis comparendi & inchoandi Concilii terminus præfixus fuerit, Matthæus Paris his verbis summatim recenset: *Eodem anno 1215. vocati sunt a papa Innocentio Roma ad Concilium generale prelati vniuersalis ecclesie, patriarcha scilicet, archiepiscopi, episcopi, primicerii, archidiaconi, decani cathedralium ecclesiarum, abbates, priores, Templarii, & Hospitalarii, vt comparerent in presentia domini papa in vrbe Roma, Kalendis Nouembris, sicut canonice vitare voluerunt ultionem.* Ad reformandam ecclesiam in fide & moribus, nec non pro terra sancta a Turcis & Saracenis recuperanda, auctoritate Innocentii papæ hanc Synodum prædicto tempore, loco ac termino indictam esse, indicat apertissime encyclica illa epistola, ab Innocentio papa ad omnes ecclesiæ prælatos & principes transmissa. *Extat supra initio actorum.*

Hæc Synodus ab Innocentio papa indicta.

Ob quam causam indicta fuerit?

<sup>b</sup> Lateranense.] Sic dictum a Lateranensi ecclesia Saluatoris, quæ

Locus Concilii.

Concil. Tom. 28.

Ff

Constantiniana vocatur: in qua, Matthæo Paris & Vrspergenſe aucto-  
ribus, habita fuit: vterque enim de loco Concilii iisdem prope verbis  
iſta ſcribit: *Celebrata eſt Roma ſancta & vniuerſalis Synodus in eccleſia  
ſancti Saluatoris, qua Constantiniana appellatur, &c.*

Oecumeni-  
cum fuiſſe  
probatum.

[*Oecumenicum.*] Præter auctores ſupra nominatos id euidentis ra-  
tio conuincit iſta, quod omnes patriarchæ per ſe vel per ſuos legatos  
eidem interfuerint, eique pontifex Romanus præſederit. Vnde frater  
Laurentius Surius in præfatiuncula, quam huic Concilio præfixerat,  
rectiſſime & veriſſime iſta ait. *Nemo ſane mentis ambigere poteſt, hanc  
que ſequitur Synodum Lateranenſem cum primis inſignem & vere oecu-  
menicam fuiſſe, quippe in qua de negotiis religionis ſumma Latina &  
Græca eccleſia concordia tractatum eſt, cuique interfuere patriarcha Con-  
ſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus, & archiepiſcopi tum Latini tum  
Græci ſeptuaginta, epiſcopi 412. abbates & priores plus 800. ſimul omnes  
prelati 1215. aut eo plures. Nec deſuere legati Græci & Romani impera-  
toris, regum Ieruſalem, Gallia, Hiſpania, Anglia, & aliorum. Quod  
ſi vero ea cuiquam propterea minus ponderis habere videatur, quod re-  
centior ſit, ille certe Chriſtum mendacem facere velle videtur, qui peren-  
nem præſentiam ſuam promiſit eccleſia ſua, & Spiritum ſanctum ſuum,  
Spiritum veritatis, qui cum illa maneat in æternum. Manet ſua ſemper  
catholica eccleſia auctoritas, quam quiſquis contemnere auſus eſt, non il-  
le efficit vt ea minor ſit, ſed ſe dignum reddit qui eius pondere penitus  
opprimatur. Hæc Surius.*

Numerus e-  
piſcoporū.

[*Quadringerorum duodecim epiſcoporum.*] Ita Matthæus Paris &  
abbas Vrspergenſis huius temporis ſcriptores: quorum iſta fere v-  
triuſque ſunt verba quæ ſequuntur: *Eodem anno, id eſt dominica incar-  
nationis milleſimo ducentefimo decimoquinto, celebrata eſt Roma ſancta  
& vniuerſalis Synodus in eccleſia ſancti Saluatoris, qua Constantiniana  
appellatur, menſe Nouembri, præſidente papa domino Innocentio tertio,  
pontificatus eius anno decimo octauo: in quo fuerunt epiſcopi quadrin-  
genti & duodecim. Inter quos fuerunt de præcipuis patriarcha duo,  
Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus; Antiochenus vero graui  
languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe vicarium ſuum  
Antididenſem epiſcopum; Alexandrinus vero ſub Saracenorum domi-  
nio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe Germanum diaconum  
ſuum. Primates vero & metropolitani ſeptuaginta ſeptem, abbates & prio-  
res ultra octingentos: procuratores quoque archiepiſcoporum, epiſcoporum,  
abbatum, priorum & capitulorum abſentium, tantus non fuit numerus.  
Legatorum vero imperatoris Conſtantinopolitani, regis Sicilia in Roma-  
norum imperatorem electi, regis Francia, regis Anglia, Hungaria, Hiero-  
ſolymitani, Cypri, Aragonum, nec non aliorum principum & magna-  
tum ciuitatum, & aliorum locorum, ingens adfuit multitudo.*

An 1253.  
patres huic  
Cōcilio in-  
terfuerint?

Vnde euidenti teſtimonio patet, quod huic Concilio interfue-  
rint, non, vt quidam huius temporis ſcriptores aiunt, bis mille du-  
centi octoginta tres vel quinque patres coniunctim computati, ſed  
tantum bis mille ducenti duodecim. Nam ſeptuaginta illi & vnus  
metropolitani, duoque patriarchæ ſupra recensiti, ſub quadringen-

ANNO  
CHRISTI  
1177.

tis duodecim episcopis continentur & computantur, vt patet ex verbis supra recitatis.

<sup>c</sup> *Contra Albigenſum errores.*] Ita ſentiendum exiſtimo, tum quod capitulo 1. & vigefimo primo huius Concilii illa dogmata fidei de principio creationis, corporum reſurrectione, baptiſmo, euchariftia, pœnitentia, inferno, de matrimonio, aliſque pluribus fidei articulis, hic a patribus Concilii aſſerantur & definiantur, quæ Albigenſibus auctoribus, vt ſupra in Concilio Lateranenſi tertio notaui, impugnabantur: tum etiam quod decreto eiufdem Concilii, vt refert Matthæus Paris, datus ſit comitatus Tolofanus Simoni Montfortenſi comiti, qui eoſdem Albigenſes Philippi regis Francorum auctoritate, & Germanorum principum ſubſidio fretus, duodecimo fere anno, poſtquam cœperunt bello oppugnari, vel ad pœnitentiam adegit, vel omnino fugauit & extirpauit. De Albigenſum hæreſibus, earumque condemnationibus, vide ſupra ſub Alexandro tertio Concilium celebratum anno 1176.

Quid contra Albigenſes defini-  
tum?

<sup>e</sup> *Almarici hæreſes.*] Hæreſes Almarici hac Synodo damnatas eſſe patet cap. 2. Quis autem Almaricus, quæque eius hæreſes fuerint, Robertus Gaguinus lib. 6. ſub Philippo rege deſcribit his verbis: *Almaricus Carnotenſis, literis apprime eruditus, cum apud Pariſios non paruum doctrina opinionem obtineret, palam docuit quoſque Chriſtianos membra Chriſti corporis eſſe; & dum a Iudæis Chriſtus pateretur, vna cum ipſo dolorem atque afflictionem fuiſſe reuera perpeſſos. Sed errorem cum iueri non poſſet, damnatus eſt reſipiſcere, & contrariam ſententiam aſſerere. Ob hanc ignominiam contracta animi aegritudine, paulo poſt tempore interit. Fuere alii præterea literati homines qui ſingulis diuina Trinitatis perſonis ſingula tempora per ſucceſſionem tribuerent, aſſerentes Patris omnipotentiam Chriſti aduentu deſuiſſe, Chriſti vero doctrinam Spiritu ſancti acceſſu exoletam eſſe. Cuius hæreſeos auctores, procurantibus Petro Pariſienſi epiſcopo atque Garino conſulari viro, deprehenſi, honoribus & dignitate priuati ſunt. Laicos, id eſt qui extra cleri ordinem eſſent, ignis abſumpſit: feminis vero parcitum eſt. At Almarici cadauer, quod pone diui Martini Pariſienſis eccleſiam ſepultum fuerat, exhumatum & crematum eſt.*

Almaricus  
deſcribitur.

De eodem iſta Genebrardus libro quarto chronologia: *Almaricus, ſive Amoricus, Carnotenſis, vir eruditus, ſed hæreticus, conuictus eſt viginti errorum, quorum vnus erat: Corpus Chriſti non magis eſſe in ſacramento euchariftia, quam in qualibet alia re. Eius ſequaces cum euſdem oſibus reſoſis Luſetia poſtea vſti ſunt. Hæc Genebrardus. Sanderus libro 7. de viſibili monarchia, de Almarico agens, Negabat, inquit, aut generationem filiorum, aut diſtinctionem ſexuum in paradifo futuram, niſi Adam peccaſſet. Non aliter eſſe corpus Chriſti in pane altaris, quam in alio pane, & in alia qualibet re. Thurificationem qua in eccleſiis vſuntur idololatriam vocabat. Negabat reſurrectionem corporum, paradifo, infernum, & idearum in mente diuina eternitatem. Dicebat quemlibet fidelem teneri, vt credat ſe eſſe membrum Chriſti, & hoc eſſe de articulis fidei. Dauid Dinantius diſcipulus Almarici, teſte*

Dauid Di-  
nantius.

Contil. Tom. 28.

Ff ij

eodem Sandero, dicebat Deum esse materiam primam. Quare supra cap. 1. Concilii Lateranensis patres Concilii haud dubie contra eundem Dinantium asseruerunt, *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem.*

Prateolus  
in Almarico.

De eodem Prateolus ista: *Fuit Almaricus natione Gallus, patria Carnotensis, Lutetia Parisiorum impietatis doctor. Inter vesanos mentis eius errores recensentur precipui qui sequuntur.*

*Dicebat corpus Christi non aliter esse in pane altaris quam in alio pane, & in qualibet alia re, transsubstantiationem denegans.*

*Deum sic locutum fuisse in Ouidio sicut in Augustino.*

*Negabat praterea resurrectionem corporum, paradysum similiter & infernum: sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se paradysum. Qui contra peccatum mortale haberet, eundem infernum habere in se, non aliter quam dentem putridum in ore.*

*Altaria sanctis dicata, & imagines thurificare, sanctorumque inuocationes, idololatriam esse asserbat.*

*Non solum cum Armenis Adam & Euam nunquam carnali copula iungendos, si in statu illo in quo Deus illos condidit permansissent; verum etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem eque atque angelorum futuram affirmabat; contra illud quod in Genesi scribitur: Creauit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit illos.*

Gen. 1.

*Asserebat rursus Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere.*

*Item illud quod alias est peccatum mortale, factum in caritate non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens.*

*Affirmabat denique ideas, qua sunt in mente diuina, & creare & creari posse: cum contra, teste diuo Augustino, in mente diuina nil nisi aeternum & incommutabile sit.*

*Somniabat quoque mentem contemplatiui vel beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale quod habuit in mente diuina.*

*Docebat deinde omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum conuerti, vt sint vnum indiuiduum cum ipso. Vnde per consequentiam in resurrectione duplicem fore sexum negabat.*

Hæc & plura alia insana cum insaniret, multosque sequacium errore suo imbueret, ab episcoporum & theologorum Parisiensium Concilio conuictus ex mœrore animi interiit. Multi complices senatus consulto damnati, & coram vniuerso populo exauctorati, deinde flammis exusti, eorumque cineres per sterquilinum dispersi sunt. Tradunt autem quod cum illi ad supplicium ducerentur, tanta oborta sit aeris inclementia & intemperies, vt nemo dubitaret quin ab eis aer fuisset concitatus, a quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, vt non solum ad interrogata nullum darent responsum, sed nec in eis in ipso mortis articulo vllum pœnitentiæ aut sanæ mentis & resipiscentiæ

ANNO  
CHRIST.  
1213.

ANNO  
CHRIST.  
1213.

ANNO  
CHRISTI  
1215.

perpendi potuisse indicium. Almaricus a generali Concilio Laterani, ca potissimum de causa celebrato, hæreseos damnatus & anathemati subiectus, postea iussu Philippi Gallorum regis exhumatus exustusque est.

<sup>e</sup> *Abbas Ioachim errores.* ] Quis abbas Ioachim, qui eius errores ab ecclesia damnati fuerint, indicatur supra capitulo secundo huius Concilii Lateranensis. Quo tempore in hunc errorem prædictus abbas inciderit, indicat Matthæus Paris in historia Anglicana anno 1179. his verbis: *Scriptis etiam eiusdem, Alexandri papæ, diebus contra eundem Petrum Lombardum abbas Ioachim Florentis cœnobii libellum, vocans eum hæreticum & insanum, eo quod in libro Sententiarum, quem composuerat idem Petrus de unitate siue essentia Trinitatis, dixit: Quoniam quedam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens. Contra hanc assertionem opposuit abbas præfatus, quod non tam Trinitatem astruebat in Deo, quam quaternitatem, tres videlicet personas, & illam communem essentiam, &c.* prout habentur supra cap. 2. Et paulo infra subiungens ait: *Stetit autem hæc indeterminata altercatio a diebus Alexandri papæ usque in tempora Innocentii papæ per annos multos, sedentibus inter eos in cathedra Romana Lucio, Gregorio, Clemente, & Celestino pontificibus Romanis. Quibus succedens Innocentius tertius, anno Domini 1215. Romæ generale Concilium celebrans, libellum abbatis Ioachim, quem contra Petrum & articulum ediderat prædictum, his verbis damnauit: Nos sacro, &c.* prout habetur supra cap. 2.

Ioachim abbas describitur.

Causam scribendi contra Petrum Lombardum ei dedisse videtur Alexander papa, qui cum relatu aliorum accepisset quod magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab articulis fidei recederet, auctore Matthæo Paris prædicto loco, ad Vvilielmum Senonensem archiepiscopum sub hac forma literas direxisse scribitur:

Cur Ioachim abbas contra Petrum Lombardum scripserit.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo Senonensi archiepiscopo salutem.*

**C**VM in nostra olim esses præsentia constitutus: &c. *Extat tomo superiori in notis ad Concilium Lateranense III. sub Alexandro papa III.*

Ioachimum abbatem errantem, nequaquam vero hæreticum fuisse, indicat epistola Honorii papæ III. ad episcopum Lucaniæ, aduersus eos qui de Ioachimo atque eius monasterio acerbius obloquebantur scripta: quæ extat apud eundem Matthæum Paris, quæque ita incipit: *Ad audientiam nostram, &c.*

An fuerit hæreticus.

Quis & qualis fuerit Ioachim, quo dono præditus, quæque eius scripta excusa reperiantur, refert Possuinus in apparatu sacro, verbo, *Ioachimus abbas.*

<sup>h</sup> *Proque terra sancta a Turcis recuperanda.* ] Hac de re in Concilio actum esse, adeoque non satis conuenienter appendicem Concilii nominari, quæ de expeditione in terram sanctam accipienda hic habentur.

De expeditione in terram sanctam suscipienda.

tur, præter epistolam Innocentii papæ ad omnes Christi fideles scriptam initio actorum huius Synodi, extantem apud abbatem Wispersensem, testatur Matthæus Paris prædicto loco, ubi ait: *His omnibus congregatis in suo loco præfato, & iuxta morem Conciliorum generalium in suis ordinibus singulis collocatis, facto prius ab ipso papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio capitula sexaginta, que alii placabilia, aliis videbantur onerosa. Tandem de negotio Crucifixi & subiectione terre sanctæ verbum prædicationis exorsus subiunxit, dicens: Ad hæc, ne quid in negotio Iesu Christi de contingentibus omittatur, &c. prout apud acta Concilii.*

In causa Anglicana episcoporum quid actū.

In hoc eodem Concilio, auctore Matthæo Paris, steterunt contra Stephanum archiepiscopum Cantuariensem procuratores regis Anglorum, abbas videlicet de Bello loco, Thomas de Hundintona, & Godefridus de Croucumbe, milites, constanter accusantes eum de conniuentia baronum Angliæ, quodque ipsius favore & consilio iidem barones dictum regem a solio depellere molirentur. Et cum a sede apostolica literas accepisset, ut dictos magnates per censuram ecclesiasticam a persecutione regis refrænaret, ipse id facere dissimulans, ab episcopo Wintoniensi & suis conuenticibus diuinorum celebratione & ingressu ecclesiæ suspensus: sicque ad Concilium properans, manifestis indiciis sese fuisse præceptis apostolicis rebellem ostendit. His & aliis multis in hunc modum allegatis, archiepiscopus quasi conuictus, & non mediocriter confusus, nihil respondit, nisi quod a suspensione petiit absolui. Cui papa cum indignatione tale seruii dedisse responsum: *Frater, per sanctum Petrum non ita de facili beneficium absolutionis impetrabis, qui non solum ipsi Anglorum regi, verum etiam Romana ecclesiæ tot & tales iniurias irrogasti. Volumus quoque cum plena fratrum nostrorum deliberatione decernere, qualiter tam temerarium puniamus excessum. Tandem habito super hoc cum cardinalibus tractatu, suspensionis sententiam in ipsum archiepiscopum subscriptis literis confirmavit.*

*Innocentius episcopus vniuersis Cantuariensis ecclesiæ suffraganeis salutem.*

**A**D communem volumus notitiam peruenire, quod suspensionis sententiam, quam venerabilis frater noster P. Wintoniensis episcopus, & dilectus filius P. subdiaconus, & familiaris noster Noruicensis electus, in Stephanum Cantuariensem archiepiscopum auctoritate apostolica protulerunt, ratam habemus, & præcipimus inuiolabiliter obseruari, donec idem archiepiscopus, qui eam humiliter seruat, mereatur ab ipsa, iuxta formam ecclesiæ canonice præstitam, relaxari, vno vinculo in aliud commutato. Quocirca vniuersitati vestræ per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus & vos episcopi præscriptam sententiam firmiter obseruetis, cum

interim nullam eidem debeatis obedientiam exhibere.  
 Datum Laterani, pridie Nonas Nouembris.

*His ita gestis, canonici Eboracensis ecclesie presentauerunt domino papa magistrum Simonem de Langetona, postulantes vt eius electionem confirmaret. Quibus papa: Noueritis quod ipsum non habemus pro electo, quia illum ad tantam dignitatem promoueri certis de causis non patiemur. Et cum precipue contra prohibitionem nostram ista sit electio celebrata, nos eam cassamus penitus, & in perpetuum damnamus, decernentes vtique vt ineligibilis fiat, ne absque dispensatione sedis apostolica contingat ad pontificalem eligi dignitatem. Cassata igitur electione predicta dominus papa canonicis precepit, vt statim in electione procederent, sin minus, ipse eis pastorem prouideret idoneum. Tunc canonici, sicut prius prouisum fuerat, postulauerunt Vualterum de Grai, episcopum Vigornensem, propter carnis munditiam, vt asserebant, vt qui ab utero matris virgo permanserat vsque in presentem diem. Ad hoc dicitur papa respondisse: Per sanctum Petrum uirginitas magna uirtus est, & nos eum damus uobis. Itaque accepto pallio, episcopus memoratus rediit in Angliam.*

Hæc de eadem Synodo œcumenica Rodericus Ximenius pro Tolletanæ ecclesie primatu defendendo, contra reliquos archiepiscopos Hispaniæ prædictæ ecclesie primatum impugnantes, dixit ac fecit, quæ ex quodam libro manuscripto, qui asseruatur in bibliotheca Tolletanæ ecclesie, exscripta edidit Gaspius in notis ad decretum Gundemari supra tomo 14. pag. 387. & sequente excusis.

Patriarcha Maronitarum, qui, vt supra in uita Lucii papæ III. auctoritate Tyrri asseruimus, tunc temporis, relictis Monothelitarum erroribus, ad fidem catholicam accesserunt, sub Innocentio papa III. uenit ad hoc Concilium Lateranense, ubi plenissime res ad fidem catholicam ritusque sacros spectantes edoctus, suos eosdem sequi uoluit: sicque semper in fide catholica immobiles, quantumuis infidelium pressuris agitentur, perstiterunt, vt literæ illorum ad Leonem X. redditæ, quæ, teste Baronio anno 1182. numero 4. extant, aperte testantur.

[Anno Domini, &c.] Tempore notato hanc Synodum celebratam esse præter abbatem Urspergensem & Matthæum Paris locis allegatis testatur epistola pontificis encyclica de Synodo celebranda ad omnes episcopos, prælatos & principes ecclesie scripta, quam ex abbate Urspergensis supra recitatam inuenies.